



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdx Magistrtvs Senator

Zype, Franciscus van der

Antverpiæ, 1633

Liber Primvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14280

INDEX MAGISTRATVS

SENATOR

LIBRIS IV. EXHIBITVS.

I. VIRTUTES. II. IVRIS-DICTIONEM.
III. POLITIAM. IV. AVTOCRATIAM SPECTAT.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Varij passim Iudices.

IUDICES varij apud omnes gentes, pro more earum, & pro temporum ratione fuerunt. Apud populum à Deo electum à Moyfi tempore, vsque ad Saulem summâ auctoritate & moderatione. Apud Romanos, pro tempestatum occasione, quàm diuersissimi, præsertim in Vrbe ipsa. nam in Prouincijs Proconsul, Prætor, Præses, & quocumque nomine Rector omnium Romæ Magistratum vice, & officio fungebatur. omnium partes, qui Romæ vel quasi Magistratus, vel extra ordinem ius dicebant, ad eum pertinebant. Vnaquæque gens, & Prouincia, in suo sensu abundat, sed in alijs Imperijs, & regnis, pleraque pro libitu Regum. Nihil alibi tam augustum quàm dignitas & diuersitas Romanorû Magistratum. Testis *Notitia Imperij*. vt neq; vllæ gentes ad æquitatem & Maiestatem legum Romanarum accesserunt. Sed & hodie nationes omnes in nomine, & auctoritate Iudicum quàm maximè sunt discrepantes. quod nihil attinget pluribus exequi. Id generatim considerare lubuit, qui qualisve Iudices esse, quidve facere debeant; quæ vniuersim functiones eis conueniant, deceant, dedeant; quibus virtutibus, naturæ & industriæ dotibus clarescere eos oporteat.

A

Quali-

2.
Partitio
operis.

Qualibus in hoc stadium vacandis insumentur primus hic liber. reliqui ad actionem Iudicis pertinebunt; secundus quidem ad Iudicia: tertius ad regimen, administrationemque Reip. quartus ad ea quæ spectant supremæ potestatis negotia.

C A P V T II.

Iudicum, Iudiciorumque Maiestas.

Dignitatem Iudicum, iudiciorumque Maiestatem commonstrat ipse Deus, qui primus ea exercuit, & exercebit vitimus. nam quod attinet Reip. gubernationem & bellorum administrationem, nihil opus hinc dicere, ea sponte in omnium oculos incurrit. Deus ergo transgressum iussa sua Adamum vocavit, audiuit, damnauit. denique omnes à mundi origine nati homines & vsque ad eius interitum orituri expectamus terribilium illorum præconum tubas, & vltimum diuini Numinis iudicium. *Reges*, inquit Cic. l. 1. de Off. iustitiæ reddendæ causa primum constituit. Adeoque apud omnes orbe diuinitus creato gentes tyranni, Reges, Imperatores, iudicia exercuerunt, per sese, & in vicem suam substitutos. Vnde Populus Israël ad Samuelem lib. 1. Reg. c. 8. *Constituë nobis regem, qui iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* & lib. 2. Reg. c. 15. Absolon regnum paternum affectans, *Quis me, inquit, constituat Iudicem super terram, ut ad me veniant omnes qui habent negotium, & iustè iudicem?* sed & Regem insimulans malè administrati regni, *omni viro qui habebat negotium ut veniret ad Regis iudicium, dicebat; Videntur mihi sermones tui boni & iusti; sed non est qui te audiat constitutus à Rege.*

Apud Ægyptios quidem eidem erant Sacerdotes, & Iudices; neque apud Gallos procul ab his aberant Druides. & Augustus statuit vt in loco Senatus thure, & mero sacrificaretur. Athenienses res graues apud Aras præstito iuramento iudicabant. & in Iure nostro sacræ leges, l. 1. D. de leg. l. leges Sacratissime. C. eod. & Iudices Sacerdotes. l. 1. de iust. & iur. & Antistites l. 1. C. de decret. curial. l. 11. dicuntur. Iustitia si quidem sancta, & iura in quibus elucet sancta, & Iudices igitur, qui eam colunt, & ius dicunt, sancti. qui enim sancti non sunt, sancta tractare non possunt. c. Maximinian. d. 81. & rectè Virg.

Iura Magistratumque legunt, sanctumque Senatum.
Quin & in populo Dei nondum admissis regibus, apud quos
rei

rei summa erat, Iudices dicebantur. Iudicia testimonio Iosaphat, 2. Paral. 19. Dei sunt: qui igitur ea exercent Iudices, Dei ministri. Rom. 13. 4. & Valent. l. 1. de offic. vic. Indicationis nostrae solet representare reuerentiam. & Cassiod. in form. Rect. provinc. A Principe, inquit, frater vocaris. vt magnificè Dauid Psal. 81. ego dixi, *Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Filij ergo cum sint Dei, habere ita se debent, vt ne personam, nec actionem, quam representant, ignominiâ suâ dehoneſtent. Neque famosis, igitur, & notatis, & quos scelus aut turpitudine vite inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt. l. 2. C. de dignit. vt nec criminis quidem postulatos tantum, donec se purgauerint, honores appetere permittit Alex. Imp. l. reos C. de reis post. l. 10. Turpi autem iudicio damnatus, inquit Cicero pro Cluentio, in perpetuum omni honore & dignitate priuatur. Sed quid ergo sibi vult Epistola D. Pauli 1. ad Corinthios 6. *Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum?* Non agit ibi D. Paulus, aut differit, quis esse, vel qualis Iudex debeat: sed ne fideles in ius vocent fideles coram Iudice infideli. non est, inquit, inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre, iudicio contendit: & hoc apud infideles? Ad verecundiam vestram dico. sic non est inter vos sapiens quisquam? Vult ergo vt potius, quàm id permittatur, contemptissimus quilibet, modò fidelis, iudicet, quàm infidelis audeatur. (ad quam rationem & Concil. Carthag. 4. c. 87. eum excommunicat, qui ad alterius fidei Iudicem prouocat.) neque enim D. Paulus iudicia à maioribus & dignioribus reiicit. An nescitis, inquit, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis secularia? Ita D. Chrysoſt. & August. ad Procul. ep. 47. imò D. Augustinus in l. de opere monachorum, ait, sese ex hoc loco Pauli cogi ad suscipienda iudicia causarum, cum esset Episcopus. & continuus Ecclesiae Christianae vsus habuit, vt Episcopi, Metropolitæ, Papæ, Imperatores, Reges, Principes, & Præsides sub variis nominibus, Iudices Christiani, & è populo selectiores, iudicia tractarent.

Necessitas.

Porrò Iudiciorum necessitatem attulit societas humana, rerum negotiorumque communio, discordiarum seminarium. Ideo *Magistratus*, inquit *Quintil. declam. 15.* *legesque à maioribus accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit. & Honorius & Theodosius in l. 14. C. de Iudicis, Iudiciorum, inquit, vigor, iurisque publici tutela in medio est constituta, ut nemo sibi ipse valeat permittere ultionem: nec quis id quod deberi sibi putat, aliter quam per Iudicem reposcat. l. 13. D. quod metru. l. 17. C. Unde vi. Iudicia quasi veetes urbium, Prou. 18. iis concluditur securitas humanæ societatis. Enimuerò leges quidem urbis animam à Cicerone, anchoram à Solone dictam scimus: tamen parum est, inquit *Pomp. in l. 2. §. post originē D. de orig. jur. ius in ciuitate esse, nisi sint qui iura reddere possunt; per eos enim, qui iudicando præsumunt, effectus rei accipitur. ut verè Arist. l. 6. Polit. c. 8. & Cicero l. 3. asseruerit opus esse Magistratibus, quòd sine illis ciuitas rectè constitui nò possit. Iustitia quippe sine persona subministra non agit. & ideo sine Magistratu Iustitia sepulta esse appositè dicitur à *Bald. cons. 118. col. 2. in fine l. 3. & pulchrè ille: Fortis est lex si Principem habet. vbi enim Iustitia, eaq; ritè exercita non est, societas humana consistere nequit. ut rectè disputat apud Ciceronem Scipio. Quocirca, inquit, vbi non est vera Iustitia, juris consensu societas hominum cætus esse non potest, & ideo nec populus, nec res populi, sed qualiscumque multitudinis, quæ populi nomine digna non est.***

Non defenduntur muris, nec mœnibus Urbes,

Si leges tollas mœnia cuncta ruunt.

Regna sine Iustitia magna latrocinia. Ideoque laus Pop. Rom.

Iustitiâq; dedit gentes frenare superbas.

CAPVT IV.

Qui iudices esse prohibeantur?

Omnes igitur *Procul profani sint, procul improbi.* Sanctitas Iustitiæ, sanctitas mysterij eos respuit, singulatimque aliquibus regno suo Astræa interdixit. Si quidem Iudices dari possunt qui lege, naturâ, aut moribus non prohibentur. Naturâ, ut furdus, mutus, & perpetuò furiosus, & impubes; quia iudicio carent. Lege impedi-

tur,

tur, qui senatu motus est: moribus, fœminæ, & serui: non quia non habent iudicium, sed quia receptum est, vt ciuilibus officiis non fungantur. *l. cum propter. D. de Ind. l. fœminæ D. de reg. Iur.* Nisi fœmina meritis excellat. *Judic. c. 4.* vt Delbora. *c. Menam. 2. q. 5. c. cum deuotissi. 12. q. 2. c. si quos 23. q. 4.* aut moribus contrariis, & consuetudine obtentū sit. *c. dilect. de Arbitr.* Lege etiam prohibetur Hæreticus *1. Cor. c. 6* Imò in *Conc. Lat. c. 3.* excommunicatus *c. decernimus de excommunicat. in 6.* illiteratus *c. ex litter. de consang. laicus respectu clerici. 11. q. 1. per tot.* Dominus aduersarij. *c. causam de off. deleg. consanguineus, vel affinis c. accedens. el. 2. vt lite non contest.* quacumque iusta de causa suspectus. *c. quod suspecti 2. q. 5.* infames *c. Infam. 3. q. 8.* adeoq; deportati, relegati, damnati ex publico delicto, ipso facto, ipso jure, vel ex genere pœnæ infames. Quod infamix impedimentū obtinendi, vel retinendi Magistratus præ cæteris exactè discutit Loiseau *des off. l. 1. c. 13.* Magistratū gerere honoris est, nō muneris. *l. Imperat. D. ad municipal. Proem. Inst. in verb. dignitat. honor.* Infamibus autem dignitatum, & honorū portæ non patent. *l. unica. C. de Infam. l. neque famosis. C. de dignit. l. 12.* Damnati etiam criminaliter, aut banniti per contumaciam etiam à dignitatibus obtinendis arcentur: cum vel solum delatus, vel inquisitus reus, donec se purgauerit, repellatur. *l. vn. C. de reis postulat. l. 10.* Iure Canonico Iudices à Sede Apostolica vel illius Nuntiis delegari non possunt, qui non sunt in dignitate, *c. statut. de rescrip. in 6.* & Iure Concil. Trid. *sess. 25. c. 10.* præter Episcopos, eorumque vicarios, seu Officiales requiritur, vt designati sint in Synodo, pro vnaqueque diocesi. & nisi Iuris periti fuerint, requisiti tenentur assessorem assumere, & iuxta illius sententiam iudicare. *Leo. X. in const. incip. Regimini.* Plura sunt apud Alciat. *in prax. tit. de recusat. Iud.*

CAP. V. T. V.

Qualis requiratur.

ENimuerò vt hæc quæ diximus proximè quem uetant Magistratum adipisci, honore atque dignitate fungi; ita neque suffecerit aliquo eiusmodi nodo deinctum non esse, si non insuper, naturæ, industriæ, virtutum, aliisque dotibus claruerit.

Vir bonus
vniuersim
virtute
præditus.

Itaque Iudicem, qui in Astrææ arcana ingressurus, ei que ritè litaturus sit, iis præditum esse qualitatibus conuenit, quas & Diuæ sanctitas, & actionis religio deposcit. Atque in primis virum bonum esse necesse est adeo, quàm conuenit medicum non esse latronè. Ne scientia, & auctoritas vergat in publicam perniciem, vti ne ille venenum pro medicina porrigat. Quare optimè Arist. l. 5. Ethic. c. 1. docet Iustitiam legalem non esse partem virtutis, id est, speciem aliquam, sed vniuersam virtutem: Sicut Iniustitia, inquit, legalis non est species malitia: sed vniuersa malitia. Ideo Iure-consultus, Iudex, & Magistratus, quorum est profiteri, explicare, atque exequi iustitiam, boni esse & iusti debent, id est, vniuersim virtute præditi.

Eo modo Iethro Exod. c. 8. Viros virtutis requirit. Apud Ciceronem l. 3. de leg. Ordo senatorius omni vitio carere iubetur. Lex XII. Tab. Is Ordo, inquit, vitio vacato, ceteris specimen esto. Nā integritas præsentium salus est subditorum. c. miramur. d. 61. quomodo sacræ litteræ Oniam describunt, Machab. l. 2. c. 15. Virum bonum, & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & à puero in virtutibus exercitatum. Quod Imp. Iulianus magistratos studiorum ait, in l. 7. C. de professor. oportet excellere moribus, multo iustius in Magistratibus, & Iudicibus requires. Illorum enim est, rectè dicere, & docere: his capita ciuium, & fortunæ committuntur, & vrbium gubernacula, atque prouinciarum. Si orator est vir bonus, dicendi peritus, vt Cicero in Rhetor. definit; & perfectus orator esse non possit, nisi vir bonus, vt asserit Quintil. in Proem. orat. Inst. quanto magis Iudex is esse debet? Leges ideò Iudicem per antonomasiam atque excellentiam virum bonum appellant. ita Venuleus in l. continuus. §. cum ita D. verb. obl. l. vir bonus. D. Iud. sol. Ea enim phrasis in iure nostro emphasim habet; nam is bonus vir dicitur, qui nullius fraudis conscius, verum honestatis Iudicium, in qualibet re sequitur. Vnde Iudex breuius definiri non potest, quàm vt bonum virum esse dicas; vt Celsus definit ius, esse artem boni, & æqui. cuius, inquit, ex Vlpia. Iustinianus meritò eos sacerdotes appellat, Iustitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profite-mur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes. Veram (nisi fallor) Philosophiam, non simulatam affectantes, l. 1. D. de Iust. & Iur.

Igitur Astrææ mystam eâ desideramus instructum Philosophiâ, eâ Iustitiâ decoratum

Quæ

Qua sola in sese virtutes continet omnes.
 Quæ deinde in eas partes se diuidat, quibus prudenter sapiat, fortiter dolores animi cohibeat, temperanter voluptates refrænet, iustè res externas moderetur: arithmeticè in commerciis, geometricè in pœnis & honoribus. Chorùmque omnium virtutum ducendo singulas colat; sanctitatem erga Deum, pietatem erga parentes, gratitudinem erga bene merentes, liberalitatem erga egenos, obedientiam erga maiores, comitatem erga minores, amicitiam erga æquales, humilitatem erga omnes, veritatem in dictis, constantiam in factis, fidem in vtrisque. Excludat à consortio iustitiæ vindictam, & crudelitatem, pariter ac negligentiam: à Societate veritatis, mendaciū, simulationem, hypocrisim: ab amicitia contubernio adulationem, detractionem, os bilingue; à liberalitatis vexillo prodigalitatem atque auaritiam: à fortitudinis signis timorem, audaciam, temeritatem: à magnanimitatis militia præsumptionem, & pusillanimitatem, mollitiem & pertinaciam: à patientiæ foribus inconstantiam & iracundiam, iram, odium, inuidiam, ferocitatem, crudelitatem: à prudentiæ adytis præcipitationem, astutiam, dolum, fraudem: à choro temperantiæ crapulam, ac ebrietatem, luxum atque libidinem: à modestiæ necessitudine superbiam, bomolchiam, rusticitatem, leuitatem, singularitatem, arrogantiam. Colat inquam virtutes singulas aduersariis suppressis, non timore tantum pœnæ, sed ipsarū virtutū amore, desiderio ipsius veri & recti, dilectione iusti, amore pulchri, eudociā boni. Qui his gressibus ad Sacra Iustitiæ contendunt, nā illi veram Philosophiam affectant. De his certè Vates Psal. 121. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* & Leuit. 19. *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum.* & Vlp. in l. 17. D. de adult. Iudicem Religiosum vocat. Religionem Iudicantis Papin. in l. *quæstum de rest.* ita in l. 3. C. *vbi senatores.* sacer cognitor. l. 5. C. *quorum appellat. non recip.* Sacrum auditorium, Iudex sacrarum cognitionum, & sacrarum constitutionum legitur. Sacra sunt non aræ tantum, & templa; sed religio in p̄niis, & iustitia, & per eam leges; vnde & sacerdotes iuris, quod sanctissima res sit ea sapientia. *Initium,* inquit Sapiens, *Prouerb. 16. bonæ vitæ facere iustitiam.* Optimè Budæus in l. *Iustitia D. de Iustitia & Iure.* *Iustitia Antistitem,* inquit, oportet esse grauem, sanctum, seuerum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos, nocentesque immiseri cordem, atque inexorabilem, erectumque & arduum, & potentem vi & Maestate æquitatis, veritatisque terrificum. Quare perbellè
 A 4 Chrysip.

Chryfip. apud A. Gellium l. 14. c. 4. mores Iudicis à iustitia instruens inquit, formâ virginali, aspectu uehementi, & formidabili, luminibus oculorum acris, neque humilis neque atrocis: sed reuerenda cuiusdam iustitie dignitate. Huic se a symbolum Iudex formet, non precibus, pretiõue corrumpatur, non minis, metu aut importunitate expugnetur, malorum infringat audaciam, fiduciam bonis inspiret, lumina acriter intendat in examen veri, atque æqui. Virgo etiam sit ipse, intactus scilicet à vitiis, & priuatim etiam bonus, non in publica tantum officij executione. *Iudicet*, inquit Ambros. c. *Iudicet*. 3. q. 7. ille qui non agit eadem, que in alio putauerit esse punienda. ne, cum de alio iudicat, in se ferat ipse sententiam. quando inexcusabilis est omnis, qui iudicat; in quo enim iudicat alterum, se ipsum condemnat. Rom. 2. Qui de colore iudicat, ab omni alienus debet esse colore. Aristot. l. 2. de anima, qui de peccato, ab eo immunis. Non permittit Christus in adulterio deprehensam iudicari, nisi ab eo, qui sine peccato esset. Ioan. c. 8. & Matth. 7. volens festucam ex oculo fratris eiicere, prius iubetur trabem ex suo tollere. & Ier. c. 2. *Iudicate*, inquit, manè iudicium, id est, sobrius à vino, & vitiis. & ita Dauid Psalm. 110. in matutino interficiebat peccatores. Optime Ambros. Off. l. 3. c. 5. neque quicquam, inquit, facit in quo se crimine quoquam obliget, etiamsi latere possit. sibi enim est reus prius quam ceteris, nec tam pudenda apud eum publicatio flagitij, quam conscientia est. non enim latebra sapienti spes impunitatis est, sed innocentia.

Porro palam etiam peccare Iudicem, summæ nequitie est, cum sibi non tantum peccet, sed & populo, qui re nullâ magis quam Regum, Magistratumque exemplis in virtutes trahitur, aut vitia. Tot mortibus digni sunt, inquit Nicol. Pap. ad Lothar. Reg. quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. c. precipue 11. q. 3. Pie admodum in vitis Patrum l. 3. c. 52. Abbas Moyses coactus ad iudicandum fratrem accedere, sportam arenâ plenam sustulit, quam sua peccata esse dicebat, quæ cum non nosceret ipse, iret ad iudicandum alium. quâ ratione iudicium soluit, omnibus compunctis, & à iudicando auersis. Timenda enim comminatio patrisfamilias apud Lucam c. 19. Ex tuo ore te iudico, serue nequam. In iudicio sedens, inquit Chrysof. c. multi distinct. 40. si quidem bene vixeris, & bene docueris, omnium Iudex es; si autem bene docueris & malè vixeris, tui solius condemnator eris. Senec. l. 2. de ira c. 7. inter cetera litium mala Iudex inquit damnaturus, que fecit, eligitur. &

Epist.

Epist. 97. de iudicio Clodiano, Minus, inquit, crimine, quàm absolutione, peccatum est. nec antè fuit de salute securus, quàm similes sui iudices suos reddidit. quod Tacit. l. 12. Annal. scribit de Nerone sceleris sibi conscio, & veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset. vix enim fieri potest, vt ea damnent, quæ faciant; nõ enim in alio possunt odisse quæ in se amant. Cum ergo, scribente Fabio, fauere, & misereri cœperint, agi iam rem suam existimabunt, & sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor; ita omnem inquirendæ veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus, estu fertur, & veluti rapido flumini obsequitur. Necessarium est, inquit Cassid. Reipub. vt cui Iustitia committitur, malis moribus non grauetur; alioquin inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere. è contra verò confidenter queritur quod inesse sentitur.

Volo ergo virum bonum cui re ipsa virtus insit, non imago tantum, & paries dealbatus. vt qui conducti plorant in funere, nam malus ubi se bonum simulat, tunc est pessimus. & bonitatis verba imitari, maior malitia est.

Virtutum sanè magna est coniunctio. quam Senec. ep. 67. vocat indiuiduum comitatum virtutum. vt Stoici existimarint virum non esse perfectum, qui non omnes virtutes haberet: nec actionem perfectam, quæ non fieret secundum omnes virtutes.

Sed vitii nemo sine nascitur: optimus ille, qui minimis vrgetur. & proprium cuiusque virtutis munus est, vt quamuis in cæteris virtutibus nimium quis non excellat, modò nec vitii notetur, & à recto iuris iustitiæque tramite non discedat; bonus vir hic & bonus iudex erit. vt hæc non amarè, sed cum quodam temperamento accipiantur. vt à Caio in l. si quid venditor. 18. §. fur. D. de edil. edict. quemadmodum si forte venditor constantem seruum affirmauerit, non exacta, ait, grauitas & constantia quasi à Philosopho desideratur: sed qui optimum coquum esse dixerit, optimum in eo artificium præstare debet: idem & in cæteris generibus artificiorum.

Non tamen
in summo
rigore.

Itaque virtutes in Iudice desideramus non vt in aliquo summi rigoris religioso, sed mediocriter, vt in seruo Caius modicè. quemadmodum Greg. IX. probari non potuit statutum, seu consuetudo Ecclesiæ Argentinensis, ne ad illius præbendas alij, quàm nobiles, & eminentis doctrinæ viri admitti possent. c. pen. x. de præb. sic & August. in c. 1. d. 81. in ordinato præfule, D. Paulum interpretans, ait non requiri, vt omnino

omnino sine peccato sit sic enim omnis homo reprobaretur: sed sine crimine, id est, graui peccato, accusatione, & damnatione dignissimo; præsertim in defectu nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt. quibus nos oportet condescendere, vt docet Pelag. Papa c. 7. d. 34. in qua re Galbam peccasse notat Tacit. l. 17. *Constat, inquit, potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate: nocuit antiquus rigor, & nimia seueritas, cui iam pares non sumus.*

3. *Institiam.* Iustitiam tamen rectitudinemque semper summam requiramus in Iudice, vt in coco optimam coquendi artem Caius: *semper enim boni & innocentis viri officio fungi eum oportet. Vlp. in l. 4. D. famil. ercis. inde & Iudices xpatistes. id est, optimos, & præstantissimos appellabant. Ita apud Acta Apost. c. 24. Claudius Lyfias Felicem, & D. Paulus Festum vocant c. 28. & Cato describit;*

*Iustitia cultor, rigidi seruator honesti,
In commune bonus.*

4. *Nisi & certa spes melioris frugis suadeat.* Sed tamen fieri aliquando potest, vt eluceat tanta in aliquo spes, vt quamuis vitiosam priuatus vitam egerit, alium Magistratus ostensus sit virum, & aduersus communes regulas sit promouendus. Vespasianus in melius mutatus est. Nicolaus Rentius Romæ priuatus, demens, & nugator putabatur; Urbis tribunus cuncta ad se traxit, summâ apud omnes reuerentiâ. Pius IV. omnium expectationem superauit. Sunt alij innumeri, vnde cum in Senatu actum esset, nequis posthac vitâ probrosus, & opertus infamiâ prouinciam sortiretur, idque Princeps dijudicaret, nō à legibus delicta puniri, quanto fore mitius in ipsos, melius in socios prouideri ne peccaretur? Aduersus ea differuit Tiberius *non ex rumore statuendum, multos in prouinciis contra quam spes & metus fuerit egisse: excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios.*

C A P V T VI.

Fidei rectæ.

PRima sanè bonitatis in Iudice species est rectè de Deo sentire, piè credere, ritè venerari. *Constare debet inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei vero cultu, veram posse habere virtutem. Augustin. A Deo Iudex, à sincera fide, à proba religione si dissenferit; non aliter munus ad.*

administret, quàm prouinciam Præses, qui ab Imperatore secessit. nam ita Christus, *Luc. 11. Qui non colligit mecum, dispergit.* Seminavit Christus probum semen: insperget Iudex zizania: quomodo hic agricola & dominus conuenient, in seruandis, colendis, purgandis fructibus? Quare rectè Imperatores orthodoxam fidem colendam, hæreses, hæreticosque comprimendos, dignitatibus arcendos, Iudæos, paganos, compescendos, templa horum claudenda, superstitionem tollendam decreuerunt. *tot. tit. C. de Sum. Trinit. & de heret.* Summa felicitas Rerump. si boni reges, boni Magistratus, probæ fidei, & Religionis fuerint. *Illi (inquit August. lib. 5. ciuit. c. 19.) qui verâ pietate præditi bene viuunt, si hanc scientiam regendi populos consecrati sunt, nihil est felicius rebus humanis, quàm si Deo miser ante habeant potestatem.*

Sed audiamus Diuina ipsa Oracula *Deut. 17.* Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, excipiens exemplar à sacerdotibus *Leuiticæ* tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram. & ipsa *Sapientia c. 6.* Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsumunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.

CAPVT VII.

Timens Deum.

Iethro consilium exigit Iudices timentes Deum. Initium quippe, *sapientiæ timor Domini, Ps. 110. 10.* Non ab alio fonte fluit, non aliâ viâ graditur, quam timor sepsierit. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, Sapient. c. 1.* Radix sanè & custos virtutum est timor Domini: ab eo procedunt, sine illius satellitio non sunt securæ. *Anchora cordis, inquit Greg. lib. 6. c. 23. est pondus timoris.* ab eo
naues

naues nostræ, ne infanis mundi tempestatibus deficiantur, immerganturque, retinentur, ac sustentantur. *Timor Domini odit malum. Prou. c. 8.* vbi ille hospes est, non admittit vitia, nec cedit malis, quæcumque demum immineant; progenerat fortitudinem, Iudicis iusti scutum inexpugnabile. *In timore Domini fiducia fortitudinis est. Prouerb. 14.* Super aspidem & basiliscum ambulabit, & conculcabit leonem & draconem. *Psal. 90.* Si consistant aduersus eum castra, non timebit cor eius. *Psal. 26.* Assumet pennas, & sicut aquila volabit, & non deficiet. *Isaie 40.* Rectissime Lactantius 3. epist. primum iustitiæ esse officium scribit, Deum cognoscere vt parentem; metuere vt dominum; diligere vt patrem. non ille est seruilis, is enim *degeneres animos timor arguit.* Filiorum ille est, qui metum simul & amorem vno nodo connectit, vno halitu spirat. Is ille est, qui, quem possidet, beatum facit. *Beatus vir qui timet Dominum. Psal. 111.* Beatus homo, qui semper est pauidus. *Prou. 28.* quare? in mandatis eius cupit nimis. ea illi regula volutatis, vitæ, actionum. *Qui timet Deum, faciet bona. Eccl. 15.* & quod inde profluit, qui continens est iustitiæ, apprehendet eam, & strictè cõplectetur: nõ tepidè, non flacidè, non in duas partes claudicando, sed feruenti zelo, incenso, intensoq; amore totam amplexabitur. nec ita eo merète Iustitia suas partes deseret, sed obuiabit illi quasi mater honorificata, spontè se ei offeret, si eam solâ totâ animi intentione, nullo affectu alio admisso teneat, ipsa diriget consilia eius, vias suas demonstrabit illi: liberabit eum, proreget, eripiet, & glorificabit eum, & ostendet illi salutare suum. *Psal. 90.* præibit illa, æquum iustumque præcinet, audire tantum, & succinere Iudicem oportet. *Qui timent Dominum, inueniēt iudicium iustum, & iustitias quasi lumen accendent. Prou. 36.* præferet illa facem, quæ tenebras dispellet, quas offundere possunt affectus, metus, amor, dona, & quæcumque alia humana: & cum his pugnans atque sub illius anciliis mox vincentem solabitur: *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Isaie. 3.*

C A P V T VIII.

Religiosus erga Ecclesiam.

Pietas in Deum affeclam habet Religionis, obseruationem, & Ecclesiæ venerationem. *Valer. Max. Rubrica. 1.* *Omnia post religionē ponenda, & semper nostra ciuitas hoc duxit, etiam in quibus summæ Maiestatis conspici decus voluit.* Quapropter
non

non dubitauerunt sacris imperia seruire. Varro; Prius de diuinis quam humanis rebus ad senatum referendum est. & Liu. l. 6. Consules nulla de re prius quam de religionibus senatum consulere. quin & Niceph. l. 10. c. 22. ait Iulianum apostatam prohibuisse, ne apparitores praesides antecederent, quando delubrum intergrederentur. Boni Principis est, ac religiosi, Dei sacerdotes honorare atque tueri. c. boni. d. 96. Non licet, inquit Simmachus, Imperatori, vel cuiquam pietatem custodiendi, aliquid contra diuina mandata presumere, nec quicquam quod Euangelicis, Propheticis, aut Apostolicis regulis obuiet, agere. & Felix; Certum est hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, iuxta ipsius constitutionem, regiam voluntatem sacerdotibus Christi, videatis subdere, non praeferre, & Sacrosancta per eorum praesules, potius discere, quam docere; Ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitas, sequenda iura praefigere; neque eius sanctionibus, velle dominari, cuius clementiae Deus vult tua pietatis deuotionis colla submittere, ne dum mensura caelestis dispositionis, exceditur, eat in contumeliam disponentis. c. certum. dist. 10. Cognoscant, inquit Isidorus, Principes seculi Deo debere se rationem reddere, propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. c. prius. 23. q. 1. & Ioan. VIII. eos qui Ecclesiarum tuitionem rogati negligunt, post secundam, & tertiam admonitionem omni comunione usque ad condignam satisfactionem declarat esse priuatos. c. administ. ibid. Conciliū Lateranense anathemate eos ferit, qui Ecclesiae iurisdictionem & auctoritatem Praelatorum euacuant. c. non minus. d. iurisdictione. x. de immunit. Ecclesiae. Si inter omnes fideles pax & concordia habenda est, multo magis inter Episcopos & Principes esse debet: qui post imperialis apicis dignitatem populū Dei regunt; ita tamen inter se concordare debent, ut alterutri sibi ad Dei seruitium peragendum, & ministerium suum explendum non solum non nocent, quin potius adminiculo sint. Cabilonense sub Carolo. c. 20. Arelat. sub Carolo c. 12. 13. Cogitent Iudices Deū zelotypū esse, & quae eius praecipua sunt, eiusque patrocinio tecta, non sine ultionis expectatione temeranda, eam saltem reuerentiā tribuat Christianus Ecclesiae illiusque, ministris, quam Romani, Graeci, Germani, Aegyptij, Cappadoces, Gallis olim sacerdotibus, aut Alexander Magnus summo Pontifici obuiā Hierosolymis venienti.

Dis te, minorem quod geris, imperas. I. 2001163

Sequatur exempla Constantini, aliorumque Principum Christianorum, quorum apud homines gloria, apud superiores praemia erunt aeterna. Plura recenset Ribadin. in prim. de Princ. l. 1. c. 35. Qui cumque imitabitur Iudex, in memoria aeterna erit Iustus. hic tamen

B

veram

2.
Vera religione non hypocristi.

veram religionem desidero, non fictam; non Hypocrisim, non specie religionis in ambitionem relabentem, quod execratur *l. 2. D. de extra ord. crim.* non specie religionis fortunas effundentem. Vindicta diuina est, cum ad tales deferuntur publicæ potestates: *Permittit Deus regnare hypocritam propter peccata populi. Iob. 34.* neque populo benefacere possunt, qui Deo illudant. *Difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem probos sese simulauerunt. Sallust. in Jugurt.* Non tamen vitandum est, ne viri Principes conspicui sint, & eluceant virtute, verâ tamen, non fictâ. *Videant opera vestra bona. Matth. 5.* Fuit Scipio non veris tantum virtutibus mirabilis, sed arte quoque quâdam ab iuuenta in ostentationem earum compositus. *Liu. lib. 26.* Ideo Persis Regibus ignes præferri, & Romanis Imp. ante thronum apponi soliti, vt introspiciantur, & virtute ac vero Dei cultu subditis præluceant. Enimvero vt Deus auersatur eos, qui virtutes mentiuntur,

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt:

ita non æquè vetat, ne defectus suos, qui eminent, celent;

Rara quidem mendâ facies caret, occulte mendas.

imò si à vitiis ipsis non abstinent, priuatim tamen, & tantum clam peccent. tum sui causâ, quia solute viuentes despicibiles fiunt; & multas opportunitates præbent insidiantibus. *Arist. 5. Pol. c. 10.* tum populi. nam quemadmodum ex erratis, quæ in nauibus inter nauigandum contingunt, si quis præsertim nauarum peccet, leue & paruum adfert damnum; verum si gubernator aberret aut delinquat, omnibus nauigantibus communem fortunam ac periculum struit: ita priuatorum hominum delicta non in plebis, sed in ipsorum incommodum referuntur. *Demost. orat. 1. contra Aristog.* Magistratus & Principes qui clam peccant, vt priuati peccant; qui palam, vt potestates: & in sequelam subiectos trahunt, & in omnibus peccant; qui eorum peccant exemplo.

CAPVT IX.

Iustus.

Deus Iudex Iustus, fortis, & patiens. *Psal. 7.* eadem elogia, eoque ordine tribuenda Iudici, pro sui prototypi imitatione. Igitur is esse debet iustitiæ, & æquitatis amans, atque obseruans. non est Iudex, si non est in eo Iustitia. *e. iustum 23. q. 2. Iustus Dominus, & Iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* eâ scilicet dignatione, vt totum vultum inspicendum portigere, non frontem tantum exporrigere velit;

vt

vt tenere id amantium est; epithetum dignissimum Iudice est *Iustus & Æquus*. Hieroglyphicum Iustitiæ dignissimum Lanx & Æquilibrium: quo momenta causarum litigatorumque rationes ponderentur: vt quò inclinat Lanx Iustitiæ, eò descendat religio iudicantis, c. 1. *de sent. in 6.* siue suum cuique tribuendum sit, siue scelera vindicanda. Quomodo Diuina manus sententiam Balthazaris in pariete descripsit: *Appensus es in statera, & inuentus minus habens.* quam eadem nocte Diuinæ damnationis Ministri executi sunt, Rege neci dato.

Neq; enim Iustitiæ trutina sola priuatorū iura expendit: sed & præmia, atque honores, & supplicia examinat. Semper enim iusta est, siue de publico, siue priuato statuendū est. In iis autem quæ spectant ad causam Iustitiæ commutatiuæ, rerumq; communicationē, seu cōmercia; per formas constituit æqualiter ab omnibus seruandas: nō distinguit personas. In his quæ ad causā distributiuæ spectant, personas distinguit meritis ab immeritis. Est tamen in vtraque æqualitas, in commutatiua ad legem proportionis arithmeticæ; in distributiua ad legem proportionis geometricæ, quam & priuatus & Magistratus vtramque colere debet. Facit id Magistratus, cū ius dicit super contractibus, & distribuit præmia & pœnas pro ratione & varietate meritorum. Facit id priuatus, dum suum cuique tribuit, quod ex contractu debuit; & distributiua obseruat, cū gradus officiorum obseruat, erga Magistrum, parentes, liberos, amicos, hospites, ciues. Pulchrè August. c. duo 23. q. 4. *Inuigilet disciplina sicut cuique regenti apta & accommodata est; non solum Episcopo regenti plebem suam, sed etiam parenti regenti familiam suam, marito regenti coniugem suam, patri regenti prolem suam, Iudici regenti prouinciam, regi regenti gentem suam.* De distributiua illud est Tullij lib. de inuent. Est, inquit, habitus animi communi utilitate conseruatā suam cuique tribuens dignitatem. & ad Heren. dicitur esse æquitas, vnicuique tribuens, pro dignitate vnius cuiusque. quo disputatio nobilis Triphon. in l. 31. D. depos. Et probo, inquit, hanc esse Iustitiam, quæ suum ita cuique tribuit, vt non distrabatur ab ullius persone iustiore petitione.

Quapropter rectè apud Ægyptios Iustitia per Oculum patientē significabatur. Plato l. 9. Iustitiam speculartricem, atque vindicem appellat. Chrysippus, oculos Iustitiæ virgini acres, rectos, atque immotos facit. Pierius *Hieroglyph.* l. 33. c. 1. quòd perspicere omnia, neque etiam conuiere debeat. In sacris etiam litteris Iustitia diuina per oculum vigilantem designatur.

1.

n publicis
æquè ac
priuatis.

2.

Communi-
tatiuæ &
distribu-
tiuæ.

3.

Oculo vi-
gilante.

tur. *Oculum vigilansem ego video.* & *Psalm. 84. Iustitia de celo prospexit.*

4. *Irreflexo, instar aquilæ.* Symbolum etiam Iustitiæ atque Hieroglyphicum traditur Aquila, perspicacissimi scilicet visus. Quod aded ei proprium naturæ donum est, vt ex vngue pullos suspendat ad obiectum solis: qui irretortis oculis aspexerint, genuini probantur; qui palpitaauerint, deiiciuntur, quasi adulterini. Iustorum oculi non ab auri fulgore, donis, muneribus offenduntur, quò minùs infractè rectum videant, & iudicent. Quòd si ad ea palpitaauerint, non iusti sunt, adulterini sunt Iustitiæ pulli. Iustorum Imperatorum Hieroglyphicum fuit Aquila fulmini insidens, etiam à Carolo V. vsurpata cum inscriptione: *Suum cuique.* Anonymus ad *Hieroglyphica Pierij lib. 4.* Huc semper oculi Iustitiæ spectant.

5. *Ciconia.* Aliud Iustitiæ symbolum est Ciconia, de qua *Plin. l. 10. natural. hist. c. 23. Genitricum,* ait, *senectam inuicem educant.* Iustitia vices rependit, vnicique suum reddit. Vnde apud D. Paulum, *nemini quidquam debeat.*

6. *Vulturis.* Iterum Vultur ab Hercule apud Herodotum pro Iustitiæ symbolo habita fuit, & Hermodorus Ponticus apud Plutarchũ innocentes vultures vocat. Nulli animali mansuetõ Vultur nocet, aut viuo pascitur, cadaueribus etiam sui generis abstinet, nullis fructibus damnum infert, auxilio est contra serpentes, visu acutissimo valet, cladiumque futurarum prouida, & ex prælagio ad eorum partes se confert, vbi clades futura est, quasi victoriæ Iustitiæ ministra obsequens. *Pier. Hierog. lib. 18. c. 6.* 7. 8. Iustitiæ inter prima principia est *alterum non ledere,* & ad alterum *cuique suum tribuere,* pertinet insultum passo se adiungere, vim pellere, à familia, ciue, patria, cladem, quam iusta lententia facit, probare, & exequi.

7. *Palma.* Denique iustæ est significationis *Palma.* Inueniuntur binæ palmæ inter se mutuis ramis interplexæ, mas, & fœmina: quasi mutuo obsequij amore ad oscula expositæ. *Pier. Hierog. lib. 50. c. 10.* Iustitiæ sanè coniugalis Hieroglyphicum. Sed & generatim Palma Iustitiam significat, quòd fructum reddat pari omnino cum folijs pondere; nota æquilibrij Iustitiæ. Incorrupta est Palmæ materia, ac senij nescia: corrumpi non oportet Iustitiæ administròs. Folia nisi vi tollantur, numquã amittit: Iustitia est perpetua voluntas suum cuiq; tribuendi. Ponderibus resistit, & in aduersum incuruatur: Iustitia est constans voluntas. In palma nihil inutile est: Iustũ vsibus humanis totũ atque publi-

publicæ rei proficuum esse oportet. *Iustus ut palma florebit.*
Psalm. 91.

Et quia Hieroglyphica Iustitiæ huc nos adduxerunt, addendum ultimo loco est, solere Veteres exhibere Iustitiam in throno sedentem, sinistrâ bilancem libratam, dexterâ tenentem fascis cum alligata securi. pro merito significabant æqua præmia merentibus impendi, & debitas scelerum conuictis pœnas infligi.

Erant duæ mulieres captivæ vtrimque iuxta thronum, à dextris vna fractum ensẽ prætendebat, altera à sinistris conto innitebatur. illa per fractum ensẽ nimiam seueritatem retusam cõhibitamque significat: hæc per contum lentitudinem, quâ iudicia plus æquo producentur, correctam.

Lenti sunt, qui nullo scelere, nullis publicis priuatisque iniuriis mouentur ad Iustitiæ vindictam. Iustos zelus Domini comedit. cuius illa æterna vox, *Diligite iustitiam, qui iudicatis orbem. Sap. 1. Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Psalm. 118. Custodite legitima atque iudicia. Leu. 8. Non facietis quod iniquum est, nec iniuste iudicabitis. Leu. 19. sed iustum iudicium iudicate. Ioan. 7. nec in alteram partem declinabitis. Deut. 16.* Tam diu enim quis Iudex dicitur, ut scribit Cassiod. quamdiu iustus putatur, qui enim iuri dicando datus est, si non ius dicit, non iustus est; si non cuique suum tribuit, non Iudex est, non Iudex rectè dicitur, omnino iam non iustitiæ minister, sed fur est, raptor, lãtro, & si quid peius dici potest. quippe qui sub nomine, & velo sacrosancti ministri, latrocinia, furta exerceat, dum innoxios neci dat, fontes absoluit, reis bona actorum addicit, & his illorum. Æquitas à iusto seruator, cum neque lucri, neque passionis alicuius causã ad aliquam partium declinatur. *Auth. de mandat. Princip. cap. 2. in fin.* Hanc æquitatem iustus seruat, *ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.* qui pro solius iustitiæ dictamine tribuit suum cuique, non lædit alterum, ipsi sibi viuit honestè. quem consequitur illud: *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam omnino tempore. Psalm. 105. Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur iustitiã thronus eius. Prou. 20.*

8.

Moderata
seueritate.

9.

Festina
lentitudi-
ne.

CAPVT X.

Æquus.

1. **I**ustus Iudex vt semper fit, æquum esse oportet. ad æquitatē pertinet ex æquo & bono, non ex callido versutoque iure rem iudicare. scriptum sequi calumniatoris est: boni Iudicis voluntatem scriptoris, auctoritatemque defendere. Cicero pro Cecinna, *Summum ius summa iniuria*. quomodo dicit Eccles. c. 7. *Noli esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse est*. Nimia subtilitas æquitati naturali contraria est. quâ præcisæ actionum, institutionum, legatorum antiquæ formulæ l. 14. D. de diuersi. & tempor. præscript. Neque tamen lenitas nimia sub vmbra æquitatis introducenda est. quomodo Celsus furtum infantis in adolescentiam vsque retenti putauit multandum duplo, existimationis non infantis, quod remissius, sed adolescentis, quod Reip. salutarius, ad puniendum crimen perseuerantiâ auctum. l. 67. §. 2. D. de furt. & Vlp. l. 11. D. de pœn. intemptiuè misericordiam exercere dolo proximum censet. sic & Marcian. *adulteram dimissam, sed receptam quamuis verbis legis Iulie non comprehendatur, tamen dicendum est, inquit, l. 33. §. 1. D. ad l. Iul. de adult. vt teneatur, ne fraus fiat*. voluntas enim legis præ verbis amplectenda est, eiusque ratio, quæ illius anima est. ita vt in quibus ea non spirat, in iis non viuat lex. quomodo Vlp. in castrato temperat legem, quæ patrono infligit pœnam à liberto iusiurandū exigente, quo nuptiis renunciet. l. 6. §. 2. de iure iur.

2. Manifesta tamen ea sit oportet, non quæ aliquid ambigui retineat. quomodo Vlp. in l. 1. §. 3. D. de minorib. constitutam in minoribus curatelam ob iuuenilem imprudentiam, eis non remitti asserit, quamuis bene rem suam gerentibus. & Imperator ei, qui ad ætatem quâ testamentum condere licet, perueniat, non ideo à constituto iure recedendum putauit, quod nondum vigoris emerissent vestigia; quia hæ causæ obscuræ sunt, & in singulis disputationem præberent, & litium seminarium. quando *satius est à paucis etiam iustam excusationem non accipi, quam ab omnibus aliquid tentari*. Seneca l. 7. de beneficiis c. 16. Cæterum & Papinianus in l. 102. D. de condit. non tantum interpretando, sed & supplendo subtiliter voluntatem testantis, æquitatem secutus est, excluso substituto, suppletâ conditione, ex naturali aui voto non relictorum liberorum. Vnde liquet

Bono ac æquo nō callido iure iudicans.

Non iura tamen scripta æquitate obtentis subuertens.

quet non omnem etiam subtilitatem ab æquitate excludi. vt exemplis exsequitur Thulden. l. 2. de causis corr. Iud. c. 10. totique æquitati finium equum modum dicit c. 7. & seq. usque 19. alioquin iam artem iurisprudentiæ abstuleris, sed acutas tantum arcet ineptias. etenim si arti repudium mittimus, cum naturaliter homines ad dissentiendum sint procliuēs, nulla erit regula, quæ æquitas definiatur, sed pro omni iure vix dum ab intellectu rustico remoto erit opinio iudicantis. quantus gratificationi & fordibus campus aperietur, quantum iudiciorum chaos! videmus id vbi omnia fidei controuersa soli priuato cuiusque spiritui subiiciuntur, nullo altero iudice admissio; in quot sectas homines sunt dissecti! peius sanè adhuc cum iure ageretur, vbi minor à materia inerit religio, vel scrupus. Non ergo Iudices, non Æquitas ipsa legibus est soluta, quatenus illis assidere dignatur. Quatenus autem assidet supremis Principibus, eorumve conciliis, quibus id specialiter illi committunt, quorum partes sunt, aliquando altiores, publicasque intueri, & causas sequi. neque numquam, neque tamen semper legibus solui permittit, earumque seueritati clementiam subrogat. *qua de re alibi.* Quibus tamen omnibus illud perpetuò commendatum esse oportet, vt pro dictamine sincero conscientie veram æquitatem, non palliatam considerent. *ne forte, inquit Iustus Iudex Ierem. c. 21. 22. egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur, vt non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum.* ea enim est malitia studiorum, quæ ab alia causa mouetur, quam simulat. ab hac cauere debent, qui casum pro amico formant; qui iram, odium, aliaque animi vitia patiuntur.

CAPVT. XI.

Fortis.

Alterum Dei Iudicis elogium est *Fortis*. est pro suo modo hominis Iudicis. *Noli fieri Iudex, si non valeas virtute irrumperè iniquitates. Eccles. 7. ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in equitate tua.*

Fortitudo quæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena justitiæ est. c. fort. 23. q. 3. ita coniungit, comparatque supremus ille politico-Christianus auctor bellicam fortitudinem, & ciuilem; ob quam plerumque inimicitia subeunda sunt: sæpè obtrectationes. *Nec*

tamen te pœniteant, inquit idem, offic. l. 3. c. ult. eiusmodi offensiones. neque enim moueri debet Iudex, si eam ob rem ei obgan- niatur, opprobria, conuitia, libelli etiam famosi de eo spar- gantur. si enim omnes qui volunt in Christo piè viuere perfe- ctionem patiuntur; tum maximè Iudices, qui officio suo pro- bè fungi volent. solent enim ab eis etiam iure correpti, ma- gnopere eos odisse, & falsa illis crimina obiicere; vt quoquo pacto possint, eis molestiam exhibeant. c. sunt nonnulli. 2. q. 7. Trid. ses. 13. c. 6. frangi tamen non debent: neque vexationis timor ad inquirenda & punienda delicta illos segniores redde- re, multo minùs officium deserere, & propter malorum op- probrium hominum, quieti se tradere. c. sugges. 7. q. 1. infirmi animi sanè id esset: nam *maiore animo tolerari aduersa, quàm relin- qui, fortes & strenuos etiam contra naturam insistere spei, timidus & ignauos, ad desperationem, formidine properare.* ex Tacit. hist. l. 2. do- cemur. ideoque Iethro Moyfi consulens, vt subsidiarios sibi su- meret, de omni plebe viros potentes exigit, seu virtutis viros, seu fortes, strenuos, ac magnanimos. Alphonfi Arag. Regis il- lud circumfertur: *Regum esse, non modò benè facere, sed & mala pa- tienter audire. Patientia enim lenietur Princeps. Prou. 25. & leuius fit patientiâ quicquid corrigere est nefas.* Aliena sunt ea mala, non nostra: pati ea, non emendare possumus. neque verò vlli pa- tientius vituperationes ferunt, quàm qui maximè probro ca- rent. *Quare diues, inquit Chrysost. hom. 47. si pauper appellatur ri- det? quoniam id falsum nouit: itidem si nos iniurias ridebimus, magnum erit argumentum, quòd falsò reprehendamus.*

Calumnia sanè ordinarium est malum, quo litigantes febrici- tantium more laborant. Quibus si medicus maledicentibus non irascitur, sed condolet: idem facere Iudicem conuenit; misereri morbi, non irasci languenti, non phrenetico. *Non me- diocris, inquit Ambr. l. 2. off. animi est fortitudo, que sola defendit ornamenta virtutum omnium, & Iustitiam custodit, que inexpiabili praelio aduersus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad peri- cula, rigidior aduersus voluptates, vt auaritiâ fugiat tamquam labem quamdam qua virtutem effeminat. & Cicero Rhet. Fortitudo est im- mobilis inter aduersa gloriosa animi claritudo, res arduas pulchrè ad- ministrans, que nec aduersis infestando frangitur, nec prosperis blan- diendo eleuatur.*

CAPVT XII.

Constans.

Constantia ad fortitudinem pertinet. Dum ergo se ad Iudicis functionem quis componit, firmare animum expedit constantibus exemplis. Vt Heluidium Traſca monuit apud Tacit. *Ann.* 16. Ita compositum non ferrum, non ignes, non calumniae, aut rumores populares ab officio deterrent. Animus enim & incitatur maximè, & dirigitur intuitu prauitiae aliorum vitae, rerumque gestarum; unde & Tacit. *de morib. German.* refert, quamuis apud eos Historiarum scriptio usum non haberet, qui benè potius facere & fortiter mallerent, quàm scribere: etsi ea res mirè virtutes in posteris excitat, historicique ideo habendi sunt. *Pasquier Recherch. lib. 1. c. 1.* tamen & asserit Tac. carminum usum habuisse Germanos, quibus Herculem, aliosque heròas, viros fortes, in memoriam reuocabant, vt eorum mentione ad vestigia insequenda prouocarentur. Eadem causà beatorum Martyrum aliorumque Sanctorum festos dies Ecclesia celebrat, quia *solemnitates Martyrum*, inquit August. *ser. 47. de Sanctis, exhortationes martyriorum sunt.* Ita Ecclesia cum diaconos ordinat, & officij sui monet, instruit, vt opere & sermone in Euangelij propagationem eant, vestigiisque Discipulorum insistant: *Habete (inquit) pedes calceatos Sanctorum exemplis. Pontifical. in Prologo ordin. Diac.* Eodem modo Iudex, cuius inter virtutes constantia in primis sedet subsellis, vt eam usu totam fructuque suam faciat, proposita sibi semper habere debet illorum Iudicum exempla, quos à recto non abduxit ira Regum, populi furor, preces, & lachrymae miserorum, thesauri, Cræsi honores, tormenta, ferrum: nec denique mors vltima linea rerum. Quis non firmetur animo, qui Sancti Thomæ Cantuariensis, Stanislai, aliorumque sanctam in recti defensione pertinaciam inspexerit? in quibus nullus humanitatis sensus, non dico fidei, sed nec officij constantiam labefactauit?

Iustum, & tenacem propositi virum.

Non civium ardor praua iubentium,

Non vultus instantis tyranni

Mente quatit solidâ.

In diebus suis, inquit Sapiens, cap. 48. non pertimuit Principem; 2.
& potentia nemo vicit illum. Non consideres personam pauperis; neque *Aduersus*
honores *potentia,*

1.

Obfirmatus magnorum exemplis.

2.

Aduersus potentia,

honores vultum potentis. *Leuit. c. 19. Galba apud Tacitum, Hist. l. 1. minantibus intrepidus, aduersus blandientes incorruptus. E contrario, Prouer. b. c. 11. Impius facit opus instabile. Rectè ergo Heluidius, apud Tacit. lib. 4. quò firmiùs aduersus fortuita Remp. capesseret, Doctores sapientiæ secutus, quæ sola bona quæ honesta, mala tantùm quæ turpia, potentiã, nobilitatẽ, cæteraq; extra animũ neque bonis, neque malis annumerat. Ante iudicium para Iustitiam tibi. Eccles. 18. illi, iam robur, & triplex circa pectus est, qui hac doctrinã animum obfirmauerit, vt ab honesto iustoque discedendũ sibi non putet, ob opes, paupertatem, honores, exilium, mortem. Iam contempsit omnes, qui mortem prius, iam impavidum ferient ruinae. Ita Vates Psalm. 118. Loquebar de testimonio tuo in conspectu regum, & non confundebam. Magnæ constantiæ vox Gregor. VII. iam morientis: qui Henticum Imp. deposuit: Dilexi Iustitiam & odiui iniquitatem: propterea morior in exilio. Otho Frising. l. 6. c. 36.*

Pro Iustitia agoniza: pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro Iustitia: & Deus pro te expugnabit inimicos tuos. Eccles. c. 4. Appositè Regius Vates Psal. 91. Iustus vt palma florebit. Palma nec hie me per niues, aut glaciem, seu quacumque irruentem aëris intemperiem, virorem vigoremque suum amittit. & folium eius non destuet. Psalm. 1. Lignum plantatum secus decursus aquarum, lambunt, ambiunt, præterlabuntur aquæ, neque Iustitiam euertunt. Qui res naturales describunt, de Palma referunt ponderibus resistere, & in aduersum incuruari. Iustus ergo Iudex vt palma ibit in contrarium pro Iustitia, si vis contra eam fiat. Imperatores si in errore essent (quod absit) pro errore suo leges darent: per quas iusti probarentur, & coronarentur: non faciendo quod illi iuberent, quia Deus prohiberet. ita August. c. Imperat. 11. q. 3. Idemque iterum, Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; sed quid si illud iubeat, quod non debeas facere? hic sanè contemne potestatem, timendo potestatem. Ipsos humanarum legum gradus aduertite. Si aliquid iusserit Curator, nonnè faciendum est? tamen si aliud Proconsul iubeat; non contemnis potestatem, sed eligis maiori inseruere. Nec hinc debet minor irasci, si maior præalata est. Rursus si aliquid Proconsul iubeat, & aliud iubeat Imperator, numquid dubitatur illo contempto illi esse seruendum? Ergo si aliud Imperator & aliud Deus; quid iudicatis? Solue tributum, esto mihi in obsequium: rectè, sed non in idolio: in idolio prohibet. Quis prohibet? Maior potestas. Da veniam, tu carcerem, ille gehennam minatur: sic iam tibi assumenda est fides tua tamquam scutum in quo possis omnia ignita iacula inimici extinguere.

Ex

Ex hoc theatro prodiit constantia Parliamenti Parisiensis
 sub Ludouico XI. Francisco I. de quo Pasquier Recherches
 lib. 9. c. 3. & Mechliniensi aliquando non defuit, nec aliis ali-
 bi. Et verò quo à Philosophia non tantum instruebantur Iudi-
 ces, sed & ab ipsis legibus, ipse Iustin. *Nouell. de Iud. s. final. const.*
 8a scribet, ut Magistratus, quamuis in medio litis imperatoriam
 accipiant iussionem, aut sacram formam licet pragmaticam,
 legem tamen præferre debeant. Quomodo refert Thesaur. *in*
præfat. decis. in Senatu Pædemont. exitare diploma Emanuëlis
 Philiberti, quo Senatus vetatur à Iure discedere, ita tamen Prin-
 cepts iterum atque iterum litteris etiam manu sua signatis,
 quæpiam mandat. Qualiter Egyptij reges iuramentum à
 Magistratibus exigebant, & consules, senatoresque olim in le-
 ges iurasse constat, satius quam ipse verba Imperatorum, quod
 pessumdata Repub. frequens deinde memorant Historiæ. Ex
 hoc fonte profluxit nomen Cancellarij, ab officio in rescriptis,
 responsis, mandatisque Principum inspiciendis, & malè scriptis
 cancellandis, & bonè scriptis ob sigillandis consistente, tametsi
 alibi *in l. 3. l. nemo C. de assessor. scribâ* notarium ve significet, qui
 intra cancellos chartas obseruabat, scribebat, cancellabat. In
 Gallia Cancellarij alijsq; locis eo celsitudinis ac dignitatis eue-
 ctu esse constat, ut Præfeti prætorio instar sit, & Nomophylax
 censeatur, ut scribit Budæus *in prior. ad Panor. annot.* Oldendorp.
in obs. ad Cancellarij Italie ubi & vocè eam collaudat. Id mihi, in-
 quit, *vicissim omnes dabunt boni viri, hoc tempore nullam reperiri vo-*
cem, quâ significantius exprimi possit Magistratus ille salutaris, quam
ut cancellariatus appellatur, ab expungendi functione. Id autem qua-
 cumque ratione incho acciderit nihil moror, cum nunc sit appositi-
 sima significatio. Vtpote perquam hæc potestate omnes omnium Principum
 Cancellarij suarum partium admoneantur maximè. Quas Budæus ita
 recenset: *Videat, inquit, ut nulla Principis constitutio, nulla sanctio,*
nullum diploma, nullum rescriptum, nulli codicilli regij, non è Repub.
atque etiam è dignitate Reip. Principaliq; exeant, cuius censura, aut
stilo acta sua eximi numquam voluit Principum Maiestas. utpotè
 quibus notum illud *Isa. c. 9. Va illis qui condunt leges iniquas.* Sed
 hæc magna, & ad magnos maximè pertinent, sed nec illis
 qui eo gradu sunt, quò tanta non perueniant, deesse sua de-
 bet constantia, ut nullatenus per compendia vel dispendia à
 via regia rectique tramite discedant. quo modo Iustin. non
 frustra definiuit Iustitiam constantem, & perpetuam volunta-
 tem ius suum cuique tribuendi, quasi quæ non hodie aliter,
 aliter

3.

Regū mi-
nas & re-
scripta.

d

marginal
notas
marginal
marginal

7

marginal
4
(vide &
Cancellari-
riorū offi-
cium, no-
men.)

5.

Casus pro
amicis.

aliter cras sentiat in problematicis nimium multis, vt finguntur, casibus pro amico, quasi quæ non actu dumtaxat vno constiterit, sed iam habitum induerit, vt perpetuo eadem sentiat, quasi quæ nullis affectibus, aut causis extra causam inflectatur, sed perpetuo in omniumque negotiis eadem sit. Et verò ne Iudices tamquam tyrones in hunc Iustitiæ campum ingrediantur, sed probati iam athletæ, valde expedit, vt qui ad subsellia assumuntur, aliquid ex vtrâque fortuna experti fuerint; ne Galbæ exemplum iis quadret, *omnium consensu capax imperij, nisi imperasset.* Tac. Hist. l. 1. Magistratus ostendit virum. non eadem res est eximie philosophari, & facere & pati fortia: numeros multos insigniter callere, & suauiter concinere: breuiter, scire virtutes, & ex earum præscripto agere. In via con-

6. stantium virorum, si non nuper Iudex institerit, non contristabit

Prosperam
aduersam-
que fortuna
experius.

iustum, quidquid ei acciderit. Prou. 12. alioquin qui cum fortuna numquam est luctatus, vires suas, vel infirmitatem nescit. In-
sidiatrix enim illa est hominum, quibuscum, vt dicit Bald. gerit inuisibile bellum, & ipsius ictus prius sentitur, quam scia-
tur; & maxime dum blanditur. nam *secundæ res acrioribus stimu-
lis animum explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.*

7. Tacit. l. 1. Hist. *Fortuna nimium quem fouet, stultum facit. Sed & in*

Semper idē
causis non
personis
varius.

cognoscendo Iudicem neque excolescere aduersus eos, quos malos putat,
neque precibus calamitosorum illachrymari oportet. id enim non est con-
stantis, & recti Iudicis, cuius animi morum cultus tetigit, ita Calist.
l. 19. D. de off. pres. Sanctissime è contrario Deum precatur regius
Vates. Psal. 16. *De vultu tuo Iudicium meum prodeat.* qui semper
idem, semper immutabilis perseuerat. ex illo libro lectæ Iudi-
cum sententiæ numquam questiones pro amicis decident, num-
quam offensionis inimicorum deferent, numquam potentibus
egenorum ius dabunt, pauperis quoque non miserebuntur in iudicio,
Exod. 23. semper immoti erunt, qui speculo illi causas omnes
sistent, ab eoque Iudicium suum referent, ibi scripta inuenitur
amicitiæ lex, quam & agnouit Cicero, *vt amantium causâ bene-
ficia faciamus, ibi nihil sibi potentior vindicat, nihil usurpat ditior, gra-
tia abest, causam merita decernunt.* Ambros. l. 2. off. c. 24. non ibi
peruersitur Iudicium aduersus & pupilli, Deut. 24. ita miseris, pupil-
lis, viduis Iustitia exhibetur, vt aliis iniustitia non fiat. c. ex te-
nore. x. de for. comp. ibi, *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum,
abominabilis est vterque Deo.* Deut. 17.

CAPVT XIII.

Patiens.

Reliquum Dei Iudicis elogium *Patiens*. Igitur & Iudex cum mansuetudine audiat opus est: memor quòd ipse ^{1.} *Deus fortis & patiens, suscipit mansuetos in Iudicio. Ps. 142.* <sup>In audien-
dis litiga-
toribus.</sup> illisque dat gratiam. *Prou. 3.* Iudices quoque; mansuetos in Iudicio dirigit. *Psal. 24.* viasque suas docet, ac illis præcipit vt ad verbum audiendum sint mansueti. *Eccl. 5. 2. Timoth. 2.* ipsum imitantes, qui mitis est & humilis corde. *Matth. 11.* ac tandem in salutem mansuetos exaltat. *Psal. 149.* Ab hac virtute nonnullis locis ipsi Iudices denominantur, vt Romæ summi *Auditores Rotæ, &c.* Patientia sanè iræ inimica ex virtutibus maximè necessaria est Iudici; veritatem enim inquirere semper debet, quæ temporis filia est, iræ furorisve præcipitiis incognita. *Veritas de terra lentissimo elemento orta est, & Iustitia de celo prospexit.* Spatio opus est, antequam Iudex tam disiuncta coniungat. tum *doctrina viri per patientiam noscitur. Prou. 19.* Rectè Plinius *l. 6. epist. 2.* Iudicem plurimã religioni suæ patientiam debere, quòd ea pars magna sit Iustitiæ. id quod monet illud vetulæ; *Si non vis audire, desine imperare;* & innuit Iantep. *D. de his quæ in test. del. in verb. Audias patienter.* Ideò leges iubent Iudicem litigantes causã vtrimque disceptatã insuper interrogare, an aliud addendum habeant, antequam iuri dicendo se accingat: non rectè aliter noscere causam Iudex potest, ignotam iudicare non potest: ideò toties in iure nostro notio pro Iudicio habetur. Quin & ipse Deus qui vno oculi ictu omnia perspicit, cuncta supercilio mouet; *Iustus Iudex, fortis est & patiens.* Imò melior est *Sapiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Prou. 16.* Inde vel in sacris litteris *Machab. l. 1.* asseritur quòd Romani obtinuerint omnem regionem patientiã suã. quo genere Scipio etiam laudatur à *Liui. l. 26.* quòd in tot ambiguis Hispanorum legationibus fidem & Maiestatem ad eò seruauit, vt *nullum ferox verbũ ei exciderit. Spiritũ ad irascendũ facilẽ quis poterit sustinere?* Quæ ratio videri potest quòd Gallia extra orbem suum aliarũ gentium imperia acquirere potuerint, retinere non potuerint. *Vir iracundus prouocat rixas; qui patiens est, mitigat suscitatas. Prou. 15.* quo nomine *Liuius* nō maiores Carthaginensium quàm Romanorũ fuisse calamitates tradit, sed nequaquã pari ad patiendũ

eos robore, ac Romanos fuisse. Quæ altera pars est patientiæ Iudicis, vt non tantum patienter ipse audiat, sed & iras inter litigantes suscitatas mitiget, id est, radicem plerarumque litium excindat. Ex ira plerumque lis nascitur, & ex ea cætera Pandoræ mala. Et in his ipsis etiam Iudicem patientem esse oportet.

2.
Cum ingenio tamen.

Circa Aduocatos, inquit Vlp. in l. nec quicquam D. de offic. Procons. patientem esse proconsulem oportet. addit tamen; sed cum ingenio; ne contemptibilis videatur, nec adeo dissimulare, si quos causarum concinnatores tantum, vel redemptores deprehendat. Quamuis enim iustus & pius patienter aliorum malitiam sustinere debeat, non tamen Iudex vltius, quam publico vel illorum bono expediat. c. parat. 23. q. 1. qui potest obuiare & perturbare peruersos, & non facit, nihil aliud est, quam fauere eorum impietati, c. qui ostendit 23. q. 3. si vigorem negligimus, perdit desidia disciplinam c. iustum ibid.

3.
Atque v: improbos co. ceat.

Allaboret igitur Iudex quantum vitia nostrorum temporum pati possunt, vt curia sua, & forum, loca ne sint exercendis in publico vitiis destinata, rabulas forenses coercet & harpyias prauaricari, calumniari, tergiuersari, res claras inuoluerre, veritatem obscuram reddere ne permittat, sed maximè partes ipsas temerè non tantum, sed & malitiosè litigantes pœnis iure statutis puniat. quarum plerumque improbitate & auaritiâ & lites excitantur, & iure peruerso agitantur. Neque enim (vt nec Ant. Faber optimè Cod. l. 9. tit. 22.) tanti mali causam in Procuratores, aut Aduocatos aut Iudices, quod à plerisque fit, semper detorquendam existimamus; ne quod aliquorum singulare vitium est, in vniuersi ordinis inuidiam non minùs temerè, quam iniuriosè deflectatur. Si vt homines, inquit Seneca (in lib. vtrum animi an corporis morbus grauior c. vli.) ita causam quoque vnamquamque & litem examines, vnde orta, vnde profecta sit; inuenies aliam à contumaci ira, aliam à furioso contendendi studio, aliam ab iniusta cupiditate originem traxisse. In id ergo Iudices debent incumbere, ne Iudicia affectibus obsequantur, ne concessa latrocinia videantur; sed eos iudiciis emendent; vt Cicero ad Politici officium retulit ciuitatem legibus fundare, regere consiliis, emendare iudiciis.

CAP. XIV.

Vacuus ab affectibus.

Proprias Iudicis virtutes iustitiam, fortitudinem, patientiam aduersarij singulis prauis quidam affectus oppugnant, a quibus ne expugnetur numquam nimium caueri potest. Non rectè perspicit oculus cui vitrum colore aliquo tinctum obiicitur. non rectè de gustibus iudicat lingua febricitantis, inundata amarum humoribus: ad solis obiectum alios in iride & vitris quibusdam aspiciuntur colores, quam rebus ipsis insunt. Ira sanè Iudex occupatus affectibus, non causas, non res ipsas, non Iura litigantium perspicit, agnoscitve, vt verè se habent, sed vt per obiectos affectus, intellectui & Iudicio sistuntur, infecti alienis coloribus. Quare rectè antiqui Iustitiam cæcam obnuptamque pingebant, ne per obiectum personarum aliæ à vero apparerent causæ, sed ad oculos mentis solæ negotij species transmitterentur. Vnde Sap. a. 9. *Constituisti hominem, vt disponat orbem terrarum in equitate & iustitia, & in directione cordis iudicium iudicet, non oculorum.* Olim constat Iudices ex consensu dari consuetos. Cicero in *Cluent. l. 80. D. de Iud.* vtriusque tamen. nam vetitum est eum Iudicem dari, quem pars altera nominatim petierit. *l. 47. eod.* quo æquè vtriusque amicus, inimicusque sit, nullaque propensioris in alterum animi suspicio. Etenim *quatuor modis peruertitur humanum iudicium: Timore; dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pertimescimus. Cupiditate; dum premio animam alicuius corrumpimus. Odio; dum contra quemlibet aduersarium molimur. Amore; dum amico vel propinquo complacere contendimus. c. quatuor. i. i. q. 3.* Amor, odium, & proprium commodum faciunt Iudicem sepe verum non cognoscere. Arist. *l. 1. Rhet. ad Theod. c. 1.* Igitur si contingat delegari quem Iudicem in causa amici, semper meminerit, vt dumtaxat, amicus sit vsque ad aras Iustitiæ. Optimè Cicero *lib. 3. offic. Iudicaturum de amici causa exuere personam amici, induere Iudicis. non ille admittet questionem pro amico, quas inconditi aliqui indigentant, & in quibus gratiæ locum faciunt. quas rectè infectatur Scriban. Politic. lib. c. 9.* Christianè idem Ethnicus Cic. *eod. lib. Cum iudici dicenda est sententia, meminerit se Deum habere testem.* Non ille in Iudicio affectus admittit, non acceptionem personarum. Inde solemnitas illa breuiculis sententiarum

1.

Affectus
obscurant.

.4

in tribu
nostris
intra qui

.7

2.

Amicus pro
amico Iu-
dex vsque
ad aras.

3.

Deum pro
oculis solū
habeat.

rum Ecclesiasticarū more maiorum inferi affueta, *Solum Deum & Iustitiam prae oculis habentes. ex. c. 1. de sent. in 6.* Iterum Cicero: *Illud est hominis magni & sapientis, cum illam iudicandi causā tabellam sumpserit, non se putare esse solum, neque sibi quodcumque cupierit licere, sed habere in consilio legem, religionem, aequitatem; libidinem autem, odium, & inuidiam, metum, cupiditatesque amouere: maximeque aestimare conscientiam mentis suae, quam à Deo accepimus, quae à nobis diuelli non potest; quae si optimorum consiliorū atque factorū testis in omni vita nobis erit, sine ullo metu, summa etiam cum honestate viuemus.* Dignum memoriae Thomae Mori exemplum, cui ad mortem eunti cum obuius quidam, quod contra eum olim iudicasset, exprobarret; percunctatus quis esset, respondit se causae meminisse, atque tum ita iudicasse, ut nunc faceret, cum in promptu ultimo Iudici rationē daturus esset. O utinam omnes ita Iudices! utinam semper meminissent supremae comminationis! *Ego Iustitias iudicabo. Psal. 74. ille scilicet, cui quasi pannus menstruat. & uniuersae Iustitiae nostrae. Isai. c. 64. Pulchrè noster Imp. Iust. const. 26. de Praetore Thraciae; Magistratus, inquit, nostros conuenit, cum officia suscipiunt, animā suam deuouere Deo, & pueri subditos nostros aequitate, & Iustitiā, ab omnibus sordibus, inimicitis, gratiā remotissimos. & iterum:*

4. *Nemini omnino oportet eos succumbere, neque si insigni aliqua uita sit dignitate praeditus, neque si opibus abundet. Propterea enim grauioribus uiris, & auctoritate plenis, eiusmodi tradimus officia: ne quid necesse habeant remittere his, qui opibus suis freti, aliis uelint inferre iniuriam. Obnubilare enim solent oculos Iudicum aspectus potentum: multò maxime suorum principum. contra quos nisi euidentis sit causa, raro iudicatur. Multi, enim, colunt personam potentis. Prou. 19. à qua se efferendos sperare possunt. Ut pote mens potentiae uida, nec abstinere nouit à petitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. Leo c. 16. d. 77.*

5. *Ideoque prudentissimè Rex Cath. Ferdinandus consiliariis suis praescripsit, ut cum causae Iustitiae ambigua videretur, contra se, fiscumque suum pronuntiarent. Non puto, inquit Modestini. l. 10. D. de Iur. fisci delinquere eum, qui in dubiis questionibus contra fiscum facillè (nota) responderit. Vnde laudatur Marcus Anth. Phil. Imp. quod in causis compendij iudicans fisco numquam fauit. Iul. Capit. in eod. & ad Traian. Plin. in Panegyri. Quae praecipua tua laus est, saepius vincitur fiscus, cuius mala causa numquam est, nisi sub bono Principe. Quisquis metu cuiuslibet potestatis ueritatem occultat, iram Dei super se prouocat: quia magis timet hominē, quam Deū. August. ad Casul. c. quisquis. 11. q. 3. Oportet Iudicem causam merito discernere,*

non

non gratia, neque sic recipere faciem potentis, ut contristet contra Iustitiam pauperem: neque pro paupere auferre Iustitiam à potente. Iud. l. 2. c. 5. Quare rectè Ariopagitæ cæci erant, seu de nocte iudicabant. Quia cognoscere personam in Iudicio non est bonum. Prou. 24. Deut. 16. Eccl. 42. & iusti Regulam Canones scribunt, In iudiciis non est acceptio personarum habenda. c. in Iud. de Reg. Iur. in 6. appositè apud Poëtam, Rex Iuppiter omnibus idem. Tros Rutulusve fuit nullo discrimine habebat. & Deut. 1. Quod iustum est iudicate, siue ciuis ille sit, siue peregrinus, nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, ut magnum. Ideò Iudex tamquam mediator, quòd se utrique parti medium dare, utrumque audire, cuique suum tribuere debeat, nullo personæ respectu. Arist. l. 5. eth. c. 4. q. 3. Statera dolosa abominatio est apud Dominum, & pondus æquum voluntas eius. Prou. 11. qui autem aliter, inquit Beda in eum locum, causam pauperis, aliter sodalis, aliter audit ignoti; statera utique laborat iniqua. Hanc primam legem in amicitia Lelius apud Cicer. sancit, ut neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati: nulla enim est excusatio peccati, si amici causâ peccaueris. At verò, quia affectus excæcant, ne vel improuidi labantur, probi & modesti Iudices se solent excusare, quando manifestum est, alteram apud eos partem gratiâ preualere. Cic. lib. de Orat. Querendi ergo sunt Iudices, de alterutra parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. Optat. Mileuit.

6.
Vniuersim
sine exce-
ptione per-
sonarum.

CAPVT XV.

Muneribus abstinent.

Affectum maximè conciliant munera, excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Deut. c. 16. Exod. c. 23. Eccles. 26. Psal. 14. Isaiæ 33. Prou. 15. Expugnant etiam illos, quibus robur, & æs triplex circa pectus. Placant hominesque, deosque. exprimit Plautus in Cilleb. Inde in amicitiam insinuauit, cum matre, & mecum simul, blanditiis, muneribus, donis. Remouendâ igitur à Iudice quàm longissimè. Rectè antiqui imaginè Iustitiæ manibus orbam pinxerunt. Optimè Vates Diuinus, Ps. 47. Iustitia plena est dextera tua.

Laudatur Pescennij Nigri Principis Romani, qui Iudicibus publica salaria instituit, memorabile dictum: Iudicem nec dare quicquâ debere, nec accipere. Rectè Iust. de Mand. Princ. C. 1. Oportet igitur te purè sumentè administrationè, & sine omni suffragio, pr. e omnibus aliis mundas seruare Deo, nobisq; & legi manus, & nullu cotingere lu-

1.
Munerum
vis.

2.
Ideo sala-
ria Iud. ex
publico.

crum, neque maius neque minus. & Nouel. 8. Vt iudices sine quoquo suffragio. §. quapropter. & nouel. de Præf. Thracia, Itaque, inquit, cum Dei & nostri memoria versentur in pecunia. & iam olim lex Cincia vetuit, nequis donum munusve caperet. quæ pro iisdem hinc accipio, quamuis inter Vlp. & Marc. perplexa distinctio sit, in l. 194. & l. 224. de verb. signi. Plebiscito, inquit Modest. in l. 18. de offic. præsid. continetur, nequis præsidum munus donumue caperet. Non licet, inquit August. ad Marced. epist. 54. Iudici vendere iustum iudicium, etsi liceat Aduocato vendere iustum patrocinium, & Iuris-consulto rectum consilium. c. non licet. 11. q. 3. vt non verum sit licitam esse munerum capturam, dummodo aduersario nihil iniuriæ irrogetur, sed iustè nihilominus iudicetur.

3. Refellit id disertè Greg. c. qui rectè 11. q. 3. Qui rectè iudicat, inquit, & præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia Iustitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit. Bonis malè vtuntur, qui iustè pro temporali lucro iudicant. Tales quippe ad Veritatem non iustitia defensio, sed amor præmij prouocat, quibus spes nummi subtrahitur, confestim à iustitie defensione recedunt. Acceptio nummorum præuaricatio veritatis. Vnde & pro Iusto dicitur, qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit. cito enim, inquit Isidorus, violatur auro Iustitia. c. pauper ibid.

4. Quid igitur? morosum facimus & inhumanū Iudicè? nequaquam. Non in totum, inquit Vlp. l. 68. 3. D. de offic. proconsul. xenius abstinere debet Proconsul, sed modum adicere, neque morosè in totum abstineat, neque auarè modum xeniorū excedat. nam vt Imp. Anton. rescripsit, valde inhumanū est à nemine accipere, sed passim vilissimum, est, omnia auarissimum. Admodum spectat, quod l. 6. D. ad leg. Iul. repetund. scribitur, ne Urbani Magistratus plus doni munerisue in anno accipiant, quam quod sit aureorum centum. Ex quo textu concidit interpretatio Besoldi, qui eum accipit de muneribus dumtaxat, quæ in auspicio officij dantur, cum supputationem in annum extendat. & Modest. in d. lib. 18. restringit, nisi esculentum poculentumque quod intra dies proximos prodigatur. Alioquin nec negotiari præsidibus, eorumque affectis intra prouinciam licet. l. 33. & seq. D. si certum petat. minimè ergo omnium dono accipere l. vn. C. de contract. Iud. sed emere dumtaxat, quibus ad victum, vestitumque opus habent.

5. Modū ergo Xeniorū Iudices non debent excedere. dicuntur ea quæ hospitibus dantur (Xenos hospes Græcis est) adeoque aduentantibus in prouincia præsidibus ea conueniebat obseruare, quæ monet Vlp. in d. l. 6. apud Arcadium in l. munerum D. de muner.

Ita, modo
Xeniorum
modus non
excedat.

muner. Xenoparochi in quibusdam ciuitatibus recensentur. *παροχοι* tributorem indicat, seu datorem. Vt & nunc sunt aliquibus in locis, qui Magnates eò diuertentes salutent, & xenio aliquo gratulentur. Et quamuis existiment aliqui posterioribus id constitutionibus esse correctum; vereor, ne ad eas non satis attendant, sed ipse Vlp. aduersetur, qui morosum vetat esse præsidem, & inhumanum. quos mores non aduocant vltimæ constitutiones. Sed & ipse Vlp. ita obiectionem dissoluit, *Et quod mandatis*, inquit, *continentur, ne donum, vel munus ipse Proconsul, vel qui in alio officio erit, accipiat, emat vè quid, nisi victus quotidiani causâ; ad xeniola non pertinet, sed ea que edulium excedant vsum: sed nec xenia producenda sunt ad munerum qualitatem.* Ipse quippe Iust. cuius vltimæ sunt constitutiones, in *Novel. de mand. Prin. s. oportet.* iubet tantum nullum contingere lucrum. Non illud est xeniolum, non est esculentum, poculentumque, quod intra paucos dies consumi potest. Apparet illud vel legenti exclamations Iustini in *d. Novel. Vt Iudices sine quoquo suffragio*, reliquisque constit. Vnde non rectè Thulden. *lib. 3. c. 5. de caus. corrupt. Iud.* ait, eam constitutionem ad eos donatores duntaxat pertinere, qui nullum sub Proconsule negotium habent; quia negociari, mutuo accipere, contrahere in prouincia illis non liceat, quia ipse secus Vlp. explicat. Tota ergo quæstio ab eodem Vlp. in hanc summam contrahitur, vt xenia non producantur ad munerum qualitatem, non ad lucra fiant, non vt venalis fiat sententia, etiam iusta: sed salutandi, gratulandi, amicitie causa fiat. quæ si non præstentur, nulla reprehensio fiat; & si præstentur, plerumque laus infit, vt ait Marc. in *d. l. 214.* Numquam laus inesse potest, numquam deesse reprehensio, cum eo sine datur, vt Iudicis affectibus obrepatur, cum modus xeniorum exceditur, & eduliorum vsus; & is quidem, qui ad paucorum dierum spatium sit restrictus. Et in hanc sententiam Bonif. VIII. in *d. c. statutum. s. in super*, rescribit, *vt gratis & cum omni puritate iudicium coram Iudice procedat, nullum munus, vel quicquam aliud, nisi forsitan esculentum vel poculentum merâ liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi cum ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas recipere ab iisdem partibus, qualitercumque presumat.* Neque attinet dicere, loqui ibi Bonif. in delegato, nam & is puras manus habere debet, non fordibus, non corruptioni subiectas. nulla id permittit lex, quod enim eo citatur *Authent. de Iud. s. ne autem*, ubi Iustin. pedaneis duos aureos in con-

testatione, duos in fine litis, quę centū aureos excedit permittit accipere, non ad munera spectat, sed ad stipendia, quę Iudicibus ex publico constituit Iustin. *Auth. ut Iudic. sine quoquo suffrag.* Non item pedaneis, præter duas auri libras. Ita enim ait: *Propterea enim eligimus fiscum minuere, quatenus horum unusquisque contentus nostrā largitate, & quaternis aureis, puras Deo, & nobis, & legi custodiat manus.* Sed neque delegatus Ecclesiasticus stipendia illa à Bonifacio accipit, sed moderatas tantum, cum foras proficiscitur, expensas. Quamvis mores passim & huic, & Principum Consiliariis & Magistratibus inferioribus sportulas permittunt.

At verò quamvis generatim hæc ita se habeant: monet tamen ex vetere Græcō proverbio *Vlp. Ne omnia, ne passim, ne ab omnibus accipiatur.* si singulatim rogaretur, an ab omnibus litigatoribus Iudex accipere posset? negaret ab omnibus, negaret tunc cum reprehensio aliqua, & non laus in esse posset, ut Marcian. *in d. l. 214. de V. S.* sic negat Bonif. VIII. *in d. s. insuper.* cum non est mera liberalitate oblatum: illiberaliter accipitur, quod emendæ, vendendæuē sententiæ causa accipitur, vel datur, etiam iustæ: aut quando ita à Iudice litigatores habentur, ut si apparuerint in conspectu eius vacui (ut apud Persas coram Rege sine munere apparere crimen erat) morosè excipiantur, non ei spontè datur, non liberaliter.

6. Ab hoc examine procedit lex Julia *repetund.* dum à sobrinis, propioreuē gradu cognatis in infinitum capere permittit. *l. 1. l. 6. §. apparet D. ad leg. Jul. repetund.* ab his datum, benevolentiae & sanguini, non sordibus datum æstimat. A moribus etiam & vita dantis coniectura sumenda est, *Munera de sinu impius accipit, ut peruertat semitas Iudicij. Prouerb. c. 17. & Multi amici sunt dona tribuentis, c. 19.* insidiantur enim, & expugnant munera nescientes; victoriam enim & honorem acquireret qui dat munera: animam autem auferet accipientium. *c. 22. & c. 21. Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.*

7. Medicos qui ex publico stipendia habent Imperatores in lege archiatri *6. de profess. l. 10.* ea patiuntur accipere, quæ sani offerunt pro obsequiis, non ea quæ periclitantes pro salute promittunt. Quo argumento videri potest Iudices post sententiam posse munus accipere, non antè promissum, non additum. Idque aliquibus in locis extra culpam est: tamen si aliis videtur vices recurrere posse, quibus litigare rursus eundem oporteat, & in id tempus deuinctum Iudicem habere publicè pericu-

Aut sanguinis aliove respectu datur.

Alias minime ac nequid post sententiā.

periculosum; præsertim cum leges quæ munera vetant, tempora non distinguant. Ideoque in Ordinat. Concil. Brab. art. 20. prudenter prohibitum est, nequis ante vel post rem iudicatum munus accipiat.

CAP. XVI.

Ab avaritia alienus.

Est, inquit Iust. in Nouel. ut Iudices sine quoquo suffrag. hoc sacrorum Eloquiorum mirabile, & verum, quod avaritia omnium sit mater malorum, maximè quando non priuatorum, sed Iudicum inhaeret animabus. Quis enim sine periculo non furetur, quis non latrocinabitur sine reatu, ad administratorem respiciens? illum namq; videns omnia auro vendentem, & presumens, quia quidquid egerit illicitum, hoc pecunias dando redimet. Hinc homicidium, & adulterium, inuasiones, & vulnera, & raptus virginum, & commerciorum confusio, & contemptus legum & Iudicum, omnibus hæc venalia proposita esse putantibus tamquam aliquod optimorum mancipiorum. Simili exclamatione fertur B. Asterius in homilia aduersus avaritiam; Tui isti, scelerata Avaritia, fructus tuo impulsu, incentiuo filius parenti inimicitias denunciat: tu completes terram latronibus, & homicidis, mare piratis, urbes turbis, atque tumultibus; forum ac tribunalia falsis testibus, sicophantis, proditoribus, Aduocatis, ac Iudicibus eo propendentibus, quò tu pertraxeris. Avaritia mater inaequalitatis, immisericors, inhumana, crudelis. Et iterum: Ita nimirum Avaritia iuxta Apostolum idololatria est, omniumque radix malorum, innumera ex se vitia progignens. Sicut enim ij, qui aurum in sinu, visceribusque terra scrutantur, auream glebam circa principem & proprium generationis locum cumulati repositam inueniri narrant, & aliquas velut venas in longum hinc inde produci, sicut arborum à stipite latè sese explicant ac diffundunt radices: ad eundem modum imagine non nimis impropria auri & avaritiæ multa video germina, multosque surculos, vna eademque stirpe avaritia coniunctos.

Inde fit ut, iterum idem, avarus proximis sit odiosus, famulis grauis, amicis inutilis, exteris difficilis, & vix affabilis, vicinis molestus, Vxori malus, liberorum parcus, atque sordidus educator, noctu inter diuque sollicitus, & cogitabundus, secum ipse loquens, ac differens eorum more qui mente exciderunt, & in insaniam lapsi sunt. Denique cum omnibus abundat, tamquam omnium egenus ingemiscit, presentibus non fruitur, quæ absunt anxie querit, propriis non utitur, & ad aliena oculos adjicit. Ideoque rectè à Iethro Exod. c. 18. non tantum Iudices non

1.

Ea omnia
malorum
causa.

2.

Auari vitia.

auari

3. Iudices
oderint
auaritiã. auari requiruntur, sed qui oderunt auaritiã: *quamuis enim sufficiat homini non esse auarum, ait Caietan. non sufficit tamen Principi, aut Iudici, sed oportet esse tam alienum ab auaritia, vt oderit ipsam, quoniam auaritia ius omne fasq; peruertit.* Est enim insatiabilis lupo, vt ait Bald. *conf. 301. n. 12. in fin. l. 1.* Auarus igitur quã Iudex esse possit, nisi vt gregem inuadat, si possit aliena rapiat; si non possit, concupiscat? cum e contrario primum propriumque Iudicis officium sit, suum cuique tribuere, ab alieno abstinere, non re ipsa tantum, sed & voto. A pectore Iudicis exulare omnino debet cupiditas. nam si id semel inuaserit, in aureum furorem vertet. Præclare Ambrosius *c. 8. d. 77.* *Sicut ij qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident: ita etiam mens auari semel vinculis cupiditatis astricta, semper aurum, semper argentum videt; semper redditus computat, gratius aurum intuetur, quam solem, ipsa eius oratio, & supplicatio ad Dominum aurum querit.*
4. Alioquin
in furorem
aureum
vertunt. Prudenter ad Q. Fratrem Cicero: *Si quis est, qui tibi numquam in suspicionem auaritiæ venerit, nihil est quod non ei & committi, & crediturissimè putem: sed si quis est, in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris.*
5. Eisq; nihil
credi po-
test. Quapropter mala quæ in Remp. ab auaris & corruptis Iudicibus proficisci demonstrauiimus proximè, satis admonent, vt contra eos leges insurgant. Lex XII. Tabularum Iudicem arbitrumve jure datum, qui ob rem iudicandam pecuniam accepisse conuictus esset, capite puniebat. Gellius *lib. 20. c. 1.* quæ ita est mitigata, vt obtineat solum in causa criminali. *l. 1. D. ad l. Cornel. de sicar.* in pecuniariis causis, litis æstimatio præstatur à Iudice deprauato. *l. 2. de pœn. Iud.* vt amittit actionem is, qui diffidentia iustæ sententiæ in pecuniæ corruptelam spem negotij reposuit. *l. 1. C. eod.* dignitate excidit legè repetundarum damnatus. *l. 6. D. repetund.* extra ordinem punitur, & si, ob hominem necandum pecuniam acceperit, capite plectitur. *l. 7. eod.* Denique Iustin. promissi duplum, accepti triplum, fisco inferre Iudicem statuit, in pecuniaria causa, præter dignitatis iacturam. *Novel. 124. c. 2.* in criminali autem accusatione bona eius in fiscum, ipsum verò in exilium mitti. Et quò facilius noxiæ detegantur, ipsi danti venia datur si criminis Iudicem conuicerit; si autem desit probatio, exigere tam à Iudice quam ab aduersario iuramentum potest: quod si recusetur, pro conuicto punitur. *Ibid.* Sententiæ etiam quæ in mercedem à corruptis

ruptis

ruptis Iudicibus feruntur, etiam citra interpositæ prouocatio-
nis auxilium infirmæ sunt, quod Thulden. *de caus. corrupt. Iud.*
lib. 8. c. 7. intelligit, quando ex pluribus vel vnus corruptus est,
præsertim si Præses curiæ, Relator causæ, vel non infirmæ au-
ctoritatis alius fuerit, qui reliquos in sententiam suam pellice-
re potuerit. quæ iuuat ratio, quòd sententia sit nulla, quæ ex
falsis instrumentis, aut testibus lata est. *l. 2. & 3. C. si ex falsis inst.*
in quarum saltem momentum hunc admitti æquum videtur.

Sed tamen moderationē Alexandri Imp. *in d. l. 3. exigerem.*
Causa, inquit, Iudicati in irritum non deuocatur, nisi probare poteris, eum
qui iudicauit, secutum eius instrumenti fidem. Alioquin rectè argu-
mentatur Angelus *ad d. l. 7.* Vno ex pluribus corrupto non esse
in mercedem prolatam sententiam, neque ea venalis fuit. Nam
quod addit Thulden. argumentum sententiæ vno ex pluribus
Iudicibus, vel arbitris absente latæ; illud ipsum tollit eius di-
stinctionē: nempe si infirmæ fuerit auctoritatis, qui corruptus
fuit, vt non noceat. quia nihilominus mandati fines excessi
sunt; in omnes enim cōpromissū est, omnes iudicare iussi sunt,
vt inquirunt *l. 39. D. de re, Iud. lex 17. §. 7. D. de recept.* Quid enim
minus verum est quàm omnes iudicasse, inquit eadem *Lex 39.*
& plus nocet vnus contemptus, quàm multorum contradi-
ctio. Vnde vno ex Canonicis omisso, irritatur reliquorum ele-
ctio. neque distinguitur qualis fuerit ille auctoritatis. *c. bone*
de elect. Addit quidem *d. lex 17.* quòd neglectus arbiter alios
potuerit in sententiam trahere, sed accessoriam facit eam ra-
tionem, quasi ab æquitate ductam, quâ nullitas à neglectu for-
mæ incurrens vestiatur. nam etsi non foret ille talis, vt reliquos
trahere posset, manet nihilominus nullitas à formæ neglectu
profecta: At hic reliqui Iudices nullam formam neglexerunt:
manebit ergo effectus criminis penes auctorem; præsertim
cū *d. l. 7.* recedit à communiori iure quo sententia pro veri-
tate habetur. nisi, inquam, reliqui probentur secuti corrupti
fidem. vt *d. l. 3. de falso* loquitur instrumento.

Enimuerò iustā ratione ductus fuit Alex. Seuer. quem me-
morat Lamprid. si vnquam furem Iudicem vidisset, paratum
habuisse digitum, vt illi oculum erueret, vt verā eum cæcitate
multaret qui non satis habuerat ex Hieroglyphico cæcitatatis
Iustitiæ. Sed vereor ne non satis lynceus fuerit. quis enim cen-
timanus suffecerit corruptis illis tempestatibus? Ad nostra
vsque tempora spectata fuit statua Ducis Burgundiæ Princi-
pis Belgarum Valentianis in foro iubentis capite plecti Iudi-
cem

7.

Sententia
per sordes
lata.

8.

Etiam ex
pluribus
Iudicibus
vno corru-
pto si eius
auctoritas
alios im-
pulis.

9.

Rursus
penæ, &
commina-
tiones ad-
uersus cor-
ruptos.

cem quemdam, non infimæ notæ, qui vaccam vnā viduæ abstulerat. Vulgare est Sisannis supplicium à Cambyse exco-
riari iussi, pelle in tribunali expansā, & filio in id locato, & re-
ctiùs indicare iusso. Digna Principibus exempla, quibus oculos
aperiant, & à veterno excitent eos, qui existimant lusum esse vi-
tam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere
vndecumq; etiam ex malo acquirere. Sap. c. 15. Sed attendite, qui
iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Pro-
pter hoc sicut deuorat stipulā lingua ignis, & calor flammæ exurit; sic radix
eorum quasi fauilla erit & germen eorū vt puluis ascendet. Isaiæ c. 5. Vbi
contra; Iustus vt palma florebit: sicut cedrus libani multiplicabitur.
Psal. 91. & qui odit munera, viuet. Prou. 15. & qui excutit manus suas
ab omni munere, iste in excelsis habitabit, & regem in decore suo videbit.
Isaiæ 53.

Maledictus ergo, qui accipit munera vt percutiat animam inno-
centis. Deut. c. 27. sed & in Respublicas extenditur malum, nec
penes reos solos manet pœna. Iudices, inquit, eius in muneribus
iudicabant, & sacerdotes eius in mercede respondebant, & c. idcirco pro-
pter vos Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem vt custodia pomarij
erit. Refertur c. Iudices 1. q. 1. & Malach. c. 1. Hæc dicit Dominus exer-
cituum: Isti ædificabunt, & ego destruiam: & vocabuntur termini im-
pietatis, & populus cui iratus est Dominus in æternum. Iustitia eleuat
gentem; iniustitia verò miseros facit populos. Prou. 14.

CAPVT XVII.

Non Iracundus.

1. **P**Rimi à bile motus non veniunt in hominis potestatem:
Contra primas causas pugnare debemus, inquit Senec. de ira
l. 2. c. 22. atque in primis non debemus denunciata citò
credere. Idem c. 29. vtrobiq; plenè euoluit & sanctè Gregor.
Si quid de quocumque clerico ad aures tuas peruenerit, quod te justè possit
offendere, facilè non credas, nec ad vindictam te res accendat incogni-
ta; sed presentibus senioribus Ecclesiæ tuæ diligenter est veritas per-
scrutanda, & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica restrictio culpam
feriat delinquentis. l. 11. ep. 49. d. 86. c. 13. 15. q. 7. c. 2.

2. **M**ora ira
remedium. Sanè generatim maximum iræ remedium est, mora. idem
Senec. c. 28. Vnde Athenodorus Augustum monuit, ne iratus
quidquam antè diceret, vel ageret, quàm elementa sermonis
25. secum relegisset. Referunt Socratem eleuatā iam manu,
vt

malè meritum percuteret, substituisse atque edixisse, recordari se Philosophum esse; & seruum malè multaturum fuisse nisi iratus esset.

Ita Imperatores Theodosius, Valent. & Gratian. l. 50. ^{3.} *C. de pœn.* si vindicari in aliquos seuerius iussissent, noluerunt statim reos aut subire pœnam, aut accipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sortem & fortunam suspensam esse; facile enim festinatione cæcâ improuida sæuitia pro seueritate recipitur, & vt dicit *c. cum apud. 11. q. 3.* quo locus misericordie, vel (si res tulisset) pœnitentiæ non periret. nempe ira sæpè etiam innocentes in crimen abducit. Ideò Apostolus, *date locum iræ. c. Ira, ibid. Prou. 25.* monemur non proferre in iurgio citò, quæ postea emendare non possumus. sed & *c. 22. non esse amici homini iracundo, neque ambulare cum viro furioso, ne discamus semitas eius, & sumamus scandalum animæ nostræ.* Rectè igitur in cognoscendo vetatur Iudex exandescere aduersus eos etiam quos malos putat. l. 19. *D. de offic. Præs. & summopere præcauere debet, vt in dictandis sententiis nullatenus leuitate aut furore ductus sit. c. summopere. ibid.* Si quid enim per iniuriam fecerit, dixeritve Magistratus, vel quasi priuatus, vel fiducia Magistratus, iniuriarum potest conueniri: l. 31. *D. de iniur. & ob id rectè Constant. in l. 2. C. de exact. tribut. lib. 10.* Nemo carcerum plumbatarumque verbera aliaque ab insolentia Iudicum reperta supplicia in debitorum solutionibus, vel à peruersis, vel ab iratis Iudicibus expauescat. & rei Iudicatæ auctoritatem comminationes non habent. *C. comminat. epist. & c.* Nimirum vt populo præsumunt Magistratus; ita Magistratibus leges, & non legibus Magistratus; vt ex Demosthene, & Chrysippo, Marcian. in l. 2. *D. de leg.* Quòd si igitur perperam officio functus erit Iudex, & vendicabunt leges, & pro irritò habebunt. Audiatur ergo litigantes, disceptationique det locum, & demum post magnum vtrarumque rationum conflictum sententiâ decernat, non ab irato animo profectâ, sed Deo & Iustitiâ consultâ. vt Moyses in Tabernaculum ingredi solebat, antequam iudicium proferret. *d. c. summopere.* Quid enim minùs cum Iustitia conuenire potest, quàm animus irâ vindictæ cupidâ perturbatus, & furore rationis experte agitatus? nã ille tremebundus, & saltitans Iustitiæ bilancem, & pondera in æquilibrio non suspendet. *Iudicet ergo, inquit Ambr. c. in d. 3. q. 7. ille qui ad pronuntiandum nullo odio, nullâ offensione, nullâ leuitate ducatur.* ^{4.} *irâ ablegatâ.*

D

Magno

Magno igitur hunc animo esse oportet, qui non admittat insultus alicuius passionis. Nam *magni animi est proprium, esse placidum tranquillumque, etiam offensiones supernè despicerè.* Senec. quin imò *speciosius iniuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odij pertinaciâ.* Id maximè Iudicibus congruit, ut scire, ita & facere. Quid enim turpius Iuliano Apostatâ, qui cùm ius diceret, rusticos coram se de iure disceptantes nō conuiciis modò, sed & pugnis quatiebat? Rectius Pyrrhus nobilis lanista discipulis ponere iram iubebat. *Ira, inquit, turbat artem. si in ea arte, quæ iræ apta putatur, quid in diuini, humanique Iuris scientia dicendum? Non te, inquit Iob, c. 36. ergo superet ira, ut aliquem opprimas. sed aufer iram à corde tuo. Eccles. 11. & Apost. ad Ephes. 4. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.*

5. *Judices, inquit Felix 2. in epist. c. 21. & accusatores tales esse debent, qui omni careant suspitione, & ex radice charitatis suam desiderent promere sententiam.* & Leo, *odio habeant peccata, non homines; corripiantur tumidi, tolerantur infirmi.* & quod in peccatis seuerius castigari necesse est, non seuerius plectatur animo, sed medentis. c. 2. dist. 86. Ideoque non viâ regiâ statim semper ad flagra & supplicia eundum est. Sæpè monitio suffecerit, nunquam nisi eâ præuiâ accusatio admitti solet. c. 2. de accus. q. 7. c. 15. ut diuina monita exigunt, Matth. c. 18. Luca c. 17. Iudices ad pœnas semper prompti audiant illud Osæ, c. 5. *Audi domus Israel, & domus regis ausculta, quia vobis Iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.*

C A P V T XVIII.

Prudens.

1. *Prudentia Iudici necessaria. que illa?* **N** Vllum Numen abest, si sit Prudentia: alioquin sapè honestas rerum causas, nisi Iudicium adhibeas, perniciosi exitus sequuntur. Prudentia ergò Magistratui necessaria est. Ea si quidem est recta ratio agendorū. Cui Prudentiæ & discretionis deest virtus, hunc paruo naso esse intelligit Greg. in Pastor. *qualem lex diuina vetuit ordinari: Paruo, inquit, naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. naso quippe odores fœtoresq; discernimus. Rectè ergò per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Sæpè si quidem*

dem

dem seruitia virtutes esse mentiuntur: ut tenacitas, parcimonia: effusio, pietas, velit videri. c. 6. dist. 41. Bene Nicephorus: Ij qui in vna Dei cognitione, omnes cogitationes ponunt; hi montes & spelunca conueniunt; at qui cum virtute & pietate civilem etiam viuendi rationem edidicit; & notitiam sibi comparauit rerum variarum; ille verò populum ad optima ducere idoneus est. Prudentiam primum officij fontem vocat D. Ambros. lib. 1. de offic. c. 27. & D. August. lib. 1. de lib. arb. c. 13. Prudentiam dicit esse scientiam rerum appetendarum, & fugiendarum, quomodo & Arist. l. 6. Ethic. c. 5. Prudentiam habitum esse, cum ratione vera circa bona humana actiuum. & c. 6. non esse eam ob cognitionem honesti, sed ob actionem. Vnde c. 7. Prudenti, inquit, maximè opus est rectè consultare. quæ prima est illius functio: altera in bene iudicando; & tertia in exequendo consistit. Neque enim sinit Prudentia in iudicando, sed vlteriùs voluntatem mouet, vt vbi consuluit, & quid sit agendum censuit, id faciat. Vnde practicè Cicero (vt multa alias) de fin. Prudentiam asserit in delectu bonorum cerni. & D. Thomas Prudentiam esse in intellectu practico, pertinere ad virtutem actiuam, mediam esse inter virtutes morales, & intellectuales, requiri ad vitam actiuam, inuenire modum in virtutibus; quarum sanè auriga est. & quia rectè iudicare, rectè consultare, rectè exequi non potest; qui vitium in consilio habet: sequitur Prudentiam veram non esse, nisi in viris bonis apud quos virtutes hospitentur, quod rectè Ambros. de offic. l. 1. c. 14. Prudentia, inquit, cum omnibus bonis habet consortium, nam quomodo potest vtile consilium dare, nisi habeat Iustitiam? vt induat constantiam, mortem non reformidet, nullo terrore, nullo reuocetur metu, nullà adulatione à vero deslectendum putet, exilium non refugiat, quæ nouerit sapienti patriam mundum esse, egestatem non timeat, quæ nihil deesse sapienti sciat, cui totus mundus diuitiarum est. Quis enim precelsus illo viro, qui quæ moueri nesciat, contemptum habet pecuniarum, & pelut ex arce quadam disticiat hominum cupiditates? Quod si qui fecerit, hunc homines supra hominem esse arbitrantur. Prudentia vt vniuersim cum virtutibus habet commercium, ita in omni hominum, negotiorum genere versatur. Cicero lib. 4. de fin. communem quandam facit Prudentiam, quam omnes, qui cuique officio præsumt, debent habere.

Ea quæ in singulis est, personalis rectè dicitur, facit hominem simpliciter prudentem. Arist. c. 8. quæ quis in singulis actionibus, quid agendum sibi sit prospiciat. succedit

2.
Quæ circa
iudicis offi-
cium in iure
dicundo,
politia, im-
perio.

TRIUMPHO

D 2

œcono-

œconomica, quâ familiam; politica, quâ Remp. nomothetica, quâ legislationem; militaris, quâ militiam rectè administrat. In Iuris professione, quâ iudiciaria est, ea est prudentia, quæ omnia controuersia capita, partes, circumstantias, loca, tempora, personas in vnum congerit, atque ita digerit, vt apotelesma, corpusque perfectum inde surgat, vt dignosci causa facilè, & quâ iudicari debeat, intelligatur. Quatenus verò regimen siue familiae, siue Reip. spectat; vt sciatur quæ sit salus populi, familiae, fiantque quæ eò pertinent. in ea continetur primum, vt bonæ & Reipub. expedientes leges habeantur, & seruentur. Secundò, vt si quid minus lege comprehensum est, per gnomen secundum epikeiam suppleatur. Quomodo Celsus in l. 17. D. de leg. dicit, *scire leges non hoc esse, verba earum tenere, sed vim ac potestatem.* & l. 18. *benignius leges interpretandas esse, quo voluntas earum conseruetur.* Quinimò sæpè res occurrunt, vt supra proximū legislatoris finem ascendere oporteat, & ex altioribus principiis æquum & bonum deducere, quod non sit contra mentem legislatoris. De qua æquitate atque epikeia Less. de Quat. virt. Card. lib. 1. c. 2. d. 3. & lib. 2. c. 47. d. 9. eam dicit Aristoteles esse quamdam Iustitiam, & Iustitiâ legali meliorem. Æquum esse quoddam iustum, & melius quàm iustum legitimum. Tertiò continentur arcana Imperij, rerum publicarū, ac dominationis: eam vulgò vocant *rationem status*. quam Scipio Admiratus *diff. polit. l. 12. dis. 1.* vocat profundas quasdam, intimas, ac secretiores leges, ad securitatem imperij constitutas. semper enim ad publicum bonum procurandum, aut malum auertendū diriguntur. Vnde cum non rectè se habent, Tacit. l. 14. vocat *dominationis flagitia*. qui tamen rem etiam malam ob finem bonum gestam, decoro nomine dignatur, cum loquitur de Agrippina *lib. 12.* longè aliter quàm Massallina se gerente, *nihil domi impudicum, nisi dominationi expediret.* Vnde Marchiavellus, aliique ausi sunt sentire, & scribere, nihil esse illicitum quod statui expediat. quem refutauit Ribadinera, *de inst. Reg.* aliique rectè. sanè nimis multi sunt, qui Marchiavellum verbis detestantur, vestigia legunt; factis probant. Sed & multa sunt, non adiaphora tantum, quæ à fine Iustitiam recipiunt, sed quæ re ipsâ aliquid habent ex ini quo, si priuatam rationem spectes; sin autem supremam populi salutem, non iniquè fiant, vt & illud Plutarchi iustum est, *A Iustitia in paruis rebus nonnumquam abeas: si eam saluam voles in magnis.* Hæc omnia prospicere, discernere, horum omnium

omnium fines regere, prudentia debet. *Melior est sapientia quam vires, & vir prudens, quam fortis.*

Prudentiæ defectu plures in Gallia atque alibi reges, regno exuti sunt. In Brabantia etiam nostra Ioannis & Aleidis ducum primogenitus à proceribus in monasterium Affliginiense missus est, & ibi tonsus. Sed rectius est à Baronibus & Comitibus Portugallia in administratione regni, sine Regis, filiorumque præiudicio, assumptus Regis frater. & id factum ab Innocentio III. probatū in c. 2. de supplen. negl. Prælat. in 6. Meliores etiam Brabantia mores habent, ut Duci Rōip. impari surrogetur Ruardus, siue Dictator, qui bellū administret, & Remp. sine successione interruptione. *Vbi non est gubernator prudens, populus corruet; salus autem ubi multa consilia. Prou. c. 5. nam astutus videt periculum, & absconditur; simplices perripunt, & damnū accipiunt. Prou. 22.*

Prudentia legalis præter ea quæ ad statum publicum pertinent, valdè elucet in æstimatione probationum, præsumptionum, eorumque omnium; quæ arbitraria nostris dicuntur. de quibus, bone Deus! quanta exstant volumina! neque tamen tanta, quin & factorum infinitudo plura completatur. ut vix lis vna non aliquid habeat, quod simul ab auctoribus cum omnibus quæ circumiacent, elucidatum non sit. In plerisque nec legales, nec lesbia regulæ Iudicem ducunt. quinimò ad religionem eius pleraque remittunt, testium fidem, & instrumentorum energiam, præsumptionum inuicem, & cum aliis probationum generibus hostiliter concurrentium efficaciam, testimoniorum, monumentorumque pugnam. æstimare, discernere, dirimere, plerumque non præscripto Iure, sed arbitrio singulari debebit. qua ex causa vel maximè verum esse credendum est, quod tradit Quintil. *Inst. l. 6. c. ult. plus valere in Iudice prudentiam, quam doctrinam tantum, quia illa est doctrina regula, negotio applicanda, ut accidit in architectis; sed etiam quòd ea quæ legibus doceri non possunt, prudentia in singulis negotiis, ex iis principiis decidat, per quæ legum conditores decernunt ex rebus ipsis. Ius quod in causa positū est metiatur ex personis, causisque; æstimet, in arena, sub dio, sub manu consiliū capiat; semper quidē in omni controuersia rationem animamque legis considerando, ipsamque equitatē, quam natura animis nostris inculpsit, eum clari aliquid Iuris nō est, ex fontibus atque capitibus iusti, æqui, & boni deducendo. Quò sensu accipio, quòd inquit Cicero, *Fremant omnes licet, bibliothecas omnium Philosophorum vnus mihi videtur.* XII. Tabul. libellus, si qui legunt*

fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis magnitudine superare. Christus Apostolos, dum ad prædicandum mitteret, prudentes esse iussit sicut serpentes, & simplices sicut columbas. Serpentes quidem omnem curam collocant in seruando capite, reliqua fortunæ permittunt. Sed non sufficit Christo; innocentiam insuper requirit columbarum. & David: *Super inimicos meos prudentem me fecisti, mandato tuo.* Psal. 118.

CAPVT. XIX.

Sobrius.

1.
Incommoda
intemperantia,
ebrietas.

PRudentiam omnem euertit intemperantia. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: omnis qui cum eis miscetur, non erit sapiens. Vbi ebrietas dominatur, ibi libido, & furor. Vinolentum sacerdotem & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet. c. 3. 4. 5. dist. 35. 2. 7. dist. 44. Filij sapientiæ intelligunt, nec in abstinendo nec in manducando esse Iustitiam, sed in equanimitate tolerandi inopiam, & in temperantia per abundantiam non se corrumpendi atque opportunè sumendi, vel non sumendi ea, quorum non vsus, sed concupiscentia reprehendenda est. c. 4. d. 40. Iudices ergo Magistratusque concernit ea cautio in primis. nam qui ad clauum Reip. sedent, si furere cœperint, quomodo gubernacula rectè dirigent? quis furor ebrietati par est? Cœperunt Principes furere à vino. Osæ 7. Noli regibus ò Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est tibi regnat ebrietas. & ne fortè bibant & obliuiscantur Iudiciorum, & mutant causam filiorum pauperis. Prou. c. 31. Vinum & mulieres apostat are faciunt sapiētes. Eccl. c. 19. Sacerdos & Propheta nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt Videntem, ignorauerunt Iudicium. Isa. c. 28. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Osæ c. 4.*

2.
Cauenda
Iudici.

Iudex ergo Magistratusque, quem excordem vecordemque numquam esse licet, numquam secreti proditorem, iudiciorum oblitum, aut iustæ causæ præuaricatorem, numquam à sapientia apostatam, numquam hanc cicutam intra fauces admittet, quæ auferat memoriam, dissipet sensum, confundat intellectum, faciat de homine bestiam, de robusto infirmum, de prudente fatuum, apage ista circæa pocula, & qui *Alexandri poculum sic bibunt, vt Æsculapij indigeant. Vsus vini grauat animam, sensus hebetat, corpus onerat.* Sed neque ad vnā id horam, at vitia vino

concepta, etiam sine vino valent, Senec. epist. 83. trahuntque sequelam malorum, quæ impegerunt: Venditur ænophoris fundus, sententia nobis. Terreat monitio Augustini: Ebrius si vinum sorbet, ab illo absorbetur. Deo fit abominabilis, ab Angelis despicitur, ab hominibus deridetur, à demonibus confunditur, conculcatur ab omnibus. Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem. Absint à Iudice tanta mala, tam graua incommoda à Magistratu. Nolit esse in conuiujs potatorum, qui carnes ad vescendum conferunt. Prou. 23.

CAPVT XX.

Clemens.

Constanter, inquit Leo, ep. 90. tenenda est iustitia, & benigne præstanda clementia. Iudici ergo vt iustum esse conuenit, ita & clementē. Rectè Seneca: Clementia in quamcumq; domum peruenerit, eam felicem tranquillamque præstabit. Sed in regia, quò rarior, eò mirabilior. Clementia proprio significato Maiestati conuenit. Occidere enim contra legem nemo potest, seruare nemo, Senec. lib. 1. c. 5. præter supremū Principem, ideoque præter eum ad solas eas supremas curias pertinet, supra legum verba, & mentem Clementē esse. Vt olim Senatus Rom. vt refert ex auctoritate Plinij secundi lib. 4. epist. Conan. lib. 1. c. 11. n. 9. Iason. in l. 1. i. 2. lect. in 3. not. vers. Secundo pondera. C. de sum. Trin. Sic Clementia Imperatoria, in l. 43. §. 5. C. de nupt. Clementia principalis in l. 1. l. 2. §. 3. l. 3. 6. de his qui veniā etatis impet. clementissima sanctio, in d. l. 23. 35. 1. C. de nupt. Clementia tamen rationi accedit, & causam, non fortunam spectat, vt misericordia, quæ si semper & passim vigeat, discrimen inter bonos, malosque sublatum est; & confusio sequitur, & vitiōrum eruptio. Senec. l. 1. de Clem. c. 2. & transit intempestiua misericordia ad crudelitātē. namque tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli. & Vlp. illam intempestiuam exercere dolo proximum censet. l. 11. D. de pæn. Quare prudenter Clementiam definit Lipsius, Clementia est virtus animum à pœna, aut vindicta ad lenitatem cum Iudicio inclinans. & peccat, quæ non assecuta est, & quæ excessit medicina modum. Pœnarum ratio primò consistit in exemplo, vs vnus pœna metus esse possit multorum. l. 1. C. ad leg. Iul. Repe-tund. Deinde in emendationem hominum constituuntur. l. 20. D. de pœnis. denique in vindicationem, & solatiū læsorum.

1.

Laud clem-
entia
competit
supremis.

2.

Exercenda
ea non pro-
miscue.

l. 28. §. 15. *ibid.* & generalior est ratio, vt pacata & quieta Resp. fit, & malis hominibus careat. l. 13. *D. de offic. Præsid.* Quatenus verò publicæ hæ rationes suadent, aut permittunt, Clementia pœnam aut remittit, aut minuit: sed vetantibus illis, periculosa est Reip. semper ignoscendo inuitantur noua scelera, quorum altrix genitrixque impunitas. Videmus in quibusdam vrbibus quantum homicidarum numerum prouocauerit insolens punitio, assidua remissio. *Qui vni indulget indigno, plurimos fasit ad prolapsionis contagium prouocari. Facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquendi.* Ambros. c. *Est onusta miseria* 23. q. 4. Eo in genere fuit Antonin. Philosophus, cuius verba: *Abfit vt me tenente principatum, vestrum quisquam meo, vestroq; decreto capite damnetur.* Quando tamen simul plures deliquerunt, ex paucorum

3.
In multorum
delictis pau-
corum pu-
nitio m-
ritū faciat;
aut si im-
par futur.
Iustitia,
omittenda,
aut si ge-
nius populi
exigit.

pœna & metu emendatio omnium sperari potest; ex omnium pœna solitudo, & vastitas, & opinio crudelitatis, Clementia necessaria est. *Si tantum irasci vis, quantum sceleris indignitas exigit, non irascendum, sed infamendum est.* Quare deterritus fuit numero adulterorum Septimius Seuerus, abstinuitque postquam tria millia morte mulctasset. Præstat aliquando omittere prævalida vitia, quando illis impares futuri sumus, & seueritas auctoritatem, quod maximum remedium habet, assiduitate amittit; aut quando cum iis gentibus agitur, quibus supplicia omnia, & quæcumque dura in venenum vergunt, non in medicinam, & correctionem; moneri volunt, & duci; trahi non sustinent, aut verberari. quod alicubi maximè accidit in causa religionis. Vbi zizania iam inualuerunt numero, aut potentiâ, vt Remp. etiam labefactare possint & euertere, *non potest esse salubris à multis correptio, nisi cum ille corripitur, cum non habet sociam multitudinem: nam tunc consilia separationis & inania sunt, & perniciofa; atque sacrilega: quia impia, & superba. c. non potest* 20. q. 4. quæ sanè omnia aliaque expendere debent Principes, ex quibus eliciant profutura, an obfutura publicè sit Clementia. Administrare enim debent Rempub. non perdere. & in materia religionis quando asperis, quando blandis modis sit agendum, ex rationibus à Greg. expensis in *c. qui syncera d. 45.* discutere, & August. c. *uimium & seq. 23. q. 4.*

4.
Iudices in-
feriores
mitigent
penas in
penitentibus.

Iudices verò, qui condonare delictam non possunt, in mitigationem, quàm exasperationem pœnarum decet esse procliuiores; in eoque quidquid circa delinquentem ex ætate eius, bene antea cta vita, spe emendationis, statu Iudicij, breui furore, seu ira seu potu commoti, leuitatem moribus, seu illius, seu regionis,

regionis, aliisque circumstantiis minuere delictum potest, ut in eo, qui diu in reatu, & squallore carceris fuit, expendet. *lex 25. D. de pœn.* quin imò emendatio delictum subsequuta aliquando pœnam excludit, præsertim si leue illud fuerit, aut Iudex maioris potestatis. Quomodo laudat Agricola Tacitus, quòd non pœnâ semper, sed sæpiùs pœnitentiâ contentus esset, & Plato sapientibus reos tradi voluit, qui eorum arte ad rectiora flecti possent; sin minus, vita pelli. Notatus Cœcinna à Tac. *lib. 17. quòd proximam quamque culpam antequam pœniteret, cultum ibat.* & Agrippina *l. 13. dum pœnitentiam filij, aut societatem non operitur.*

Rectiùs Germanicus litteris præmonuit venire se validâ manu, ac, ni supplicium in malos præsumant, promiscuâ cæde vsurum; dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo consulerent. Ita Ætolis dictum, si pœnitere possint, posse & incolumes esse. & Æquis, si pœniteat, tutum receptum ad experiam clementiam fore. *Liu. l. 3.*

Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram. Misericordiam & Iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper. Osa. 12. Misericordia plenitudo virtutum est, c. 19. dist. 86.

Cùm Ætoli pacem à Romanis peterent, confœderationes & merita ostentare meditantur, Valerius Flaccus suasit, ne quæ aliàs violata erant, memorarent; confessionem iis culpæ magis profuturam, & totam in preces orationem versam. *Addit Lii. lib. 36. non in causa, sed in moderatione, & Clementia populi Romani ipsorum salus posita erat: seque iis fauturum apud Consulem, & in senatu, dummodò infimis precibus pacem peterent. quod ipsi neglexerunt, & eodem die vrbe excedere iussi sunt. Tacit. l. 36.*

Rhodij autem contra Ætolos orationem omnem ad magnitudinem, & Clementiam Romanorum verterunt, & Romanis, *inquit l. 37. apta magnitudini Romanæ oratio visa est, & Rhodij cuncta ex voto consecuti sunt.*

Ita de alijs statuere nos conuenit, tamquam qui quotidie peccemus; ita aliorum vitiis irasci, quasi ipsi imitemur, & præcurramus; ita esse exorabiles, ut dare veniam non nisi nobis ipsis nesciamus.

CAPVT XXI.

Benignus, Seuerus.

1.
Misericors,
benignus,
moderatus
sic iudex.

AD Iudicem, omnesque quæ iudicant pertinet illud Christi præceptum; *Estate misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Nam Iudicium illi sine misericordia qui non facit misericordiam, minuitur. *D. Iacobus.* Ex naturæ principis Modest. in l. 25. *D. de leg.* Nulla, inquit, Iuris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione producamus ad seueritatem. Imò è contrario pœnas potiùs interpretatione molliamus, quàm asperemus. *ex l. 42. D. de pœn.* Iustè Arcad. in l. de minor. *D. de quæst.* Tormenta habenda sunt, non quanta accusator postulat, sed ut moderata rationis temperamenta desiderant. & Constant. in l. 2. *C. de custod. reor.* ut Iudicibus immodicè sæuientibus fræni quædam temperies abhibeatur. Ut disciplinæ ea accedat moderatio, ut calamum quassatum non confringat, & linum fumigans non extinguat. Sunt nempe nonnulli ita districti, ut omnem etiam mansuetudinẽ, ac benignitatem amittant. De quibus Greg. accipit illud Prophetæ: *Vos autem cum austeritate imperabitis eis, & cum potentia.* Cum austeritate & potentia imperant, qui subditos suos non tranquillè ratiocinando corrigere, sed asperè insectere dominando festinant. *c. 1. dist. 46.* Sed & sunt nonnulli ita mansueti, ut perdant districti iura regiminis. Idem Greg. *c. 14. dist. 45.* Sed quæ est ista, inquit Hormisda *d. 50. c. 29.* Iustitiæ inimica benignitas, palpans crimosos, & vulnera eorum vsque ad diem iudicij sentiret. Verè dico, quia illi ipsi quibuscumque periculosa & falsa misericordia indulgere videtur, cum ante tribunal Christi pro tantis peccatis damandi adueniunt, contra nos causam dicturi sunt, dicentes, quod dum aut asperitatem lingue eorum expauimus, aut falsa blandimenta, & periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, in iisdem permanere peccatis ex inuoluntate indulgemus, aut ipsa peccata indulgere permittimus, non recolentes illud, quod in veteri Testamento scriptum est, quia vno peccante contra omnes ira Dei deseuit. Et Origenes *dist. 5. c. 17.* Quæ est bonitas, quæ ista misericordia, vni parcere & omnes in discrimen adducere! Polluit rex vno peccatore populus, sicut ex oue morbida vni uex suus grex inficitur. Vnde rursus Greg. *dist. 45. c. 14.* Cunctis Reëtoribus vtraque summopere sunt tenenda, ut nec in discipline vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtiorem deserant

serant disciplinae. quatenus nec à compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigunt; nec disciplina vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo disciplina vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

Rectorem subditis pietas matrem, disciplina verò patrem 2.
exhibeat: etenim, ut rursus idem Greg. dist. 45. c. 9. disciplina vel ^{salua di-} misericordia multum destituitur si ^{sciplina.} una sine altera teneatur, sed circa subditos suos inesse Rectoribus debet, & iuste consolans misericordia, & pie sauiens disciplina. Hinc est quòd seminiui illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur, & oleum, ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur, quatenus vnusquisque qui sanandis vulneribus praest, in vino morsum distractionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mudentur putrida, per oleum sananda foueantur. Miscenda ergo lenitas cum saueritate, faciendumque quoddam ex vtroque temperamentum, ut neque multà asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis, virga simul & manna est, quia cum Scripturae Sacrae scientia in boni Rectoris pectore, si est virga distractionis, sit & manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid ait: *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Virgâ enim percutimur, & baculo sustentamur. Si ergo est distractio virgæ, quæ feriat; sit & consolatio baculi, quæ sustentet. Sit itaque amor; sed non emolliens: sit rigor; sed non exasperans. Sit zelus; sed non immoderatè sauiens: sit pietas; sed non plusquam expediat, parcens. Intueri libet in Moyli pectore misericordiam, cum saueritate sociatam; videmus amantè piè, & districtè sauientem. Quibus consonant, quæ habet idem Greg. August. alii- que. in d. dist. 45. 46. & congeruntur à Conc. Trident. ses. 13. c. 1. ita monente Episcopus, *ut se Pastores, non percussores esse meminerint: atque ita praesse, sibi subditis oportere, ut non in iis dominentur; sed illos tamquam filios & fratres diligant, elaborentq; ut hortando, & monendo ab illicitis deterreant; ne vbi deliquerunt, debitis eos pœnis coercere cogantur. quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis seruanda præceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate & patientia. cum sapè plus erga corrigendos agat beneuolentia, quàm austeritas; plus exhortatio, quàm comminatio; plus charitas, quàm potestas. Sin autem ob delicti grauitatem virgâ opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericor-*
dia

dia Iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conseruetur, & qui correpti fuerint emendentur; aut si respicere noluerint, ceteri salubri in eo animaduersionis exemplo à vitiiis deterreantur; cum sit diligentis & pijs simul Pastoris officium, morbis ouium lenia primum adhibere fomenta, post ubi morbi grauitas ita postulet, ad acriora & grauiora remedia descendere: sin autem ne ea quidem proficiant illis submouendis, ceteras saltem oues à contagij periculo liberare.

3.
in dubio
cedat beni-
gnitati.

Quòd si quando hæreat Iudex in quam partem nescius inclinare, quia hinc benignitatem exigit misericordia, inde seueritatem disciplina: pro hac stet rigor, huic aduersetur pietas: ille pro alijs petit exemplum, hæc condolet pœnitenti: nec satis Iudex apud se statuere possit, qualiter Iustitiam cum dulcore misericordiæ possit temperare, qualiter satisfacere simul Dei mandato, Deut. 25. ut pro mensura delicti, sit & plagarum modus, ac Synodi VIII. in c. pro. 26. q. 7. pro qualitate delicti tempus pœnitentiæ impendatur. & d. præcepto Christi, estote misericordes: humanior sanè pars erit eligenda. l. si præf. D. de pœn. potiùs ad benignitatem ibitur, quàm seueritatem, c. in panis de reg. iur. in 6. Ideo quæ per illud Christi præceptum pulchrè Beda: Præcipi, inquit, existimo, ut ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur; c. estote. x. de Reg. Iur. Erramus, inquit Chrysoft. relat. c. alligant 26. q. 7. modicam pœnitentiã imponentes; nõnne melius est propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? ubi enim paterfam. largus est, dispensator non debet esse tenax: si Deus benignus est, ut quid Sacerdos eius austerus? Vis apparere sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. Prou. 22. non idem de seueritate promissum habemus.

4.
Præf. rrim
Iudex Ec-
clesiasticus.

Et maximè Iudices Ecclesiastici, & Præsules Ecclesiæ, qui clericorũ correctioni, nõ vindictæ criminum præpositi sunt, in acerbitatẽ declinare nõ debent, tamquã potestatem exercentes, & maximè erga eos, qui digniores in clero gradus meruerunt, & honorabiliora membra sunt, ut vocat Concil. Bracar. c. 8. d. 45. neque eos carceribus facillè, verberibus, & dolori subiicere, ne dum Prælatus incautè subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reuerentiam subtrahat: iuxta illud quod quidam sapiens dixit: Leuiter castigatus reuerentiam exhibet castiganti; asperitatis autem nimia increpatio nec correctionem recipit, nec salutem.

Sanè

Sanè ex misericordiæ fonte fluit monitum Ambrosij, *Offic. l. 30. vlt. ut neque monitio aspera sit, neque obiurgatio contumeliosa. & quod l. 2. c. 27. cum dolore amputetur etiam quæ putr uit pars corporis, & diu tractetur, si potest sanari medicamentis. & 24. neque urgeas iterum; & impugnes, cuius crimen deprehenderis. sed rursus eod. cap. in ipso munere neque nimiam esse remissionem conuenit, nec diram seueritatem, ne aut potestatem exercere, aut susceptum officium nequaquam implere videamur. Finit hæc ergo August. ad Marcellium Comitem c. circumcelliones. 23. q. 5. Imple Christiane Iudex p̄i patris officium; Sic succense iniquitati; ut consulere humanitati memineris; nec in peccatorum atrocitatibus exerceas voliscendi libidinem, sed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem.*

CAPVT XXII.

Peritus.

ERUDITAM Iudicem desideramus non vt percalleat numerosarum legum verba, sed sensum, animam, rationem. Ad hanc vt Lydium lapidem omnes excutiat, referat, interpretetur. Ad hunc modum Celestinus mandat Metropolitano Episcopum consecraturus, vt ab eo diligenter inquirat, an in promptu habeat legere scrutabiliter (& non transitorie) tã sacros Canones & sanctum Euangelium, quàm diuini Apostoli librum, & omnem diuinam Scripturam. *cap. 6. dist. 38.*

Vera Iuris prudentia requiritur, non sophismatibus versa, atque peruerla. Vnde Rabinius, *c. 7. dist. 37.* refert Origenem ciniphes & ranas, quibus Ægyptij sunt percussi, vanam dialecticorum garrulitatem, & sophistica argumenta intellexisse. & Hieronymus interpretatur inebriari eos sicera, qui sæculari abutuntur sapientia, & dialecticorum tendiculis; quæ non tam vincula, inquit, sunt appellanda, quàm phantasmata, id est, ombra quedam, & imagines, quæ cito pereunt, atque soluuntur. *c. 4. dist. 37.* & idem iterum, *c. 6. ead. dist.* Omnem vim venenorum suorum in dialectica disputatione constituunt heretici: quæ Philosophorum sententia definitur, non instruendi vim habere, sed studium destruendi. sed non in dialectica complacuit Deo saluum facere populum suum; regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis.

Vera iuris prudentia aliarum etiam scientiarum atque historiarum imprimis cognitionem aliquam inuoluit: non eam quidem perfectissimã, quam in iis, singulas profitentur, exigimus.

E

Quam-

1.
Non in
cortice
verborum,
sed in cute
iuris-pra-
dens.

2.
Non sophi-
sticæ.

3.
Cum om-
niū scien-
tiarum ad-
mini-
culis.

Quamuis enim eæ multâ sui parte nihil pertineant ad edictum prætoris, tamen inconcinna est Iuris-prudentia, & pænè rustica, si nihil aliarum artium in comitatû habeat. Vnde idem Rabinus: *Legitur, inquit, quòd præcepit Dominus filius Israel, ut exspoliarent Egyptios auro, & argento; moraliter instruens, ut siue aurum sapientia, siue argentum eloquentia apud Poetas inueniremus, in usum salutiferæ eruditionis vertamus.* Sic Moses & Daniel omni scientiâ Ægyptiorum & Chaldæorum eruditi fuerunt.

4.
Præsertim
eloquentia

Sed præcipuè Iurisprudentem hæ artes commendant, qui magistratum gerit, qui orare, suadere, mouere sæpè populum debet, cuius sermo comptior aliarum artium præceptis, verborum floribus, historiarum autoritatibus intertextus, mirè ad suadam facit. Non aliud modò argumentum dabo quàm quod Cæsar de se l. 3. *de bel. ciuil.* scribit, cum milites eius in Thessalia à Pompeianis fusi essent: *Hæc habitâ, inquit, oratione exercitui omni tantus incessit ex incommodo dolor, tantumque studium infamie sarciente, ut nemo aut tribuni, aut centurionis imperium desideraret, & sibi etiam quisque pænæ loco grauiores imponeret labores, simulque omnes arderent cupiditate pugnandi.* Vituperat Tac. lib. 19. *Vitellium non alloquio, exercitioque militem firmare, neque linguâ neque auribus competere.* Quare & apud Liuium l. 15. *Volumnium Appius elinguem vocat.* sed ab illo meliùs reponitur: *Quàm mallem tu à me strenuè facere, quàm abs te scire loqui didicissem.* Ideoque addit Volumnius, prouincias quas ambo administrassent testaturas, quem Resp. magis desideraret, bonum oratorem, aut meliorem Imperatorem. Optimè; sed si cum virtutibus magistratus, & Iuris, ac rerum agendarum peritia, simul gradiatur eloquentia, historiarum, aliarumque artium notitia; næ ille alterius claritudinem, qui his carebit, obumbrabit.

5.
Et historia
vnde prudentia.

Ex lectione historiarum præterita noscimus, futura prospicimus nam ea ex præteritis & præsentibus metienda sunt: quibus si accedat experientia, quæ dux est intelligentiæ, norma voluntatis, anima prudentiæ, quæ gignit artes, nutrit, alit, firmat, exornat; quæ velut acies in gladio, & calor naturalis in animalibus, qui per omnia membra diffunditur: ita ea facit ne artes velut mortuæ videantur. Ut visioni non sufficit oculus, sed & lumen requiritur: ita inquam experientia dux omnium artium est, & scientiarum, summum prudentiæ seminarium, sine qua nihil rectè fieri potest.

Si hæc inquam accedant Iure-consulto ad historiarum, atque

atque eloquentiæ studia profectò non aliter censebitur quàm si sponsæ speciosæ mundus muliebris additus fuerit insignis, in aures, armillæ, cymelia. Sed verò è contubernio ethicam, æconomicam, & moralem omnem philosophiam excludere non debet, sine qua vita hominis quasi citra regulam ducitur. Vnde Plutarchus: *Plerique, inquit, Reges ac Principes parum cordati statuarios imperitos imitantur, qui credunt Colossos magnos, & amplos videri, & tibus vehementer diductis, si latere distantes, & hiantes fixerint. Nam hi quoque grauitate vocis, toruitate, vultus, ac morum truculentia, fugæque consuetudinis humane maiestatem, & auctoritatem imperij sibi videntur mutuari, nihil prorsum à Colossorum signis discrepantes, qui cum foris heroicam ac diuinam quandã speciem præ se ferant, intus pleni sunt terrâ, lapide, plumbo, nisi quòd istud Colossorum pondus rectitudinem illorum stabilem & immotam seruat: At ineruditi Duces ac Principes, propterea, quòd intus malè librati sunt, sopenumerò vacillant ac subuertuntur; etenim cum basi non rectè posita sublimem substernunt potestatem, simul cum ipso pondere nutant & ad ruinam inclinantur.*

Imperiti an Iudices esse possint aut illius officij incapaces iure Romano fuerint, controuersum multi fecerunt. Illustrem eam quæstionem facit Hotoman. q. 26. & Coras. miscellan. l. 5. c. 19. & pluribus aliis allegatis. Borel. de magistr. lib. 1. cap. 8. & sanè irrefragabilis est distinctio Hotomanni, quam etiam Cuiacius amplectitur, Nouel. 82. de Iudic. vt maiores magistratus scientiam legum necessariam nõ habuerint, sed assessorem peritum, à cuius præscripto non liceret eis recedere. l. 2. in fin. D. de orig. Iur. Ideoque si per imprudentiam iudicatum esset, non magistratui, sed assessori officiebat. l. 2. D. quod quisque iuris. Pedaneis autem Iudicibus necessaria erat iurisprudentia. quæ omnia rectè comprobantur Auth. de Iudicib. & tot nullatenus cum Iurament. militares habere suas administrationes, habere & literatos; vnumquemque hoc agere debere, quod nosset. Et quamquam Alexander Imperator dicere soleret tales administrationi publicæ præficiendos, qui per se sine assessoribus Remp. gerere possent. Lamprid. in Sever. & ab eo aliisque nonnullis Imperatoribus iurisprudentiæ amantioribus Iure-consultos summis officiis admotos constat; certum tamen est plerumque præsertim in limitibus imperij, summos magistratus viris militaribus impositos. Sed neque hi omnes imperiti erant, vt nec illi quidem, de quibus in l. certi C. de Iudic. per quam vulgò imperitos admitti creditum est, vt animaduertit Coras.

6.

An imperi-
i Iudices
esse possint.

d. c. 19. in fin. ex verbis pro sui & legis scientia : quin imò summum probrum erat eorum, qui in aliquam Reip. spem adoleverent, si nec litteras nec nare scirent. quo modo & Cicero dicit turpe esse eius civitatis, in qua quis versatur, ius ignorare. & florente Rep. Romani à re militari reliquarum artium disciplinam non seiungebant. Cæsar causas in Foro oravit, commentaria quàm bellè scripsit ? quanta bella gessit ? Cicero exercitum in Cilicia duxit, historiæ & maximè orationes Liuij ad milites, & in senatu dictæ sententiæ eosdem exercituum duces, Iudices strenuos, prudentesque, & Senatores consultissimos exhibent, disciplinarum & ciuiliū simul & militaris gnaros, qui benè in Repub. suas partes egerint, & militarint non sine gloria quale nuper in Gallia exemplum Desdiguerius ab orandis Lutetiæ causis ad Martis labores, & summos honores assumptus. Sacri etiã Canones quanquam non omnium ignaros ad dignitatē quam pro reuerentia iudiciorum exigunt, admittant; pro Apostolicis tamen Iudicibus non exactam iuris scientiam postulant. Ideoque assessorem vt delegati assumant, quatenus indigeant permittuntur. c. statutum. s. assess. de rescrip. in 6. Imò Leo X. in Conc. Lateran. si Theologi fuerint, & requirantur, iniungit, simulque vt iuxta assessoris sententiam iudicent. Sanè maiorum magistratuum partes non erant maximæ quæ in disceptatione forensium controuersiarum vertebantur; vnde aptos vndeque in summa excellentia cum rarò inuenias, si cætera idoneis non leuiter, desit exacta iuris prudentia, suppleri ea potest per assessorem. Quem vix distingui à pedaneis Iudicibus, qui vtrique ex Iureconsultis sumebantur, est liquidum. Nouel. 60. Horum est exactam iuris præstare scientiam. Debent quippe esse periti legum, & morum; nec enim ex vsu esset, vt aliqui Iudicum nomen gerant, & legum sint ineruditi, & in rebus gerendis nullum obtineant vltim. Nouel. 8. Quid enim turpius est, inquit Cic. de orat. quàm legitimarum & ciuiliū controuersiarum cognitionem suspicere eum qui est legum & iuris ciuilis ignarus? De his ait Iustin. s. Nouel. 82. de Iud. Non enim existimauimus oportere habere Iudicum quorundam nomina, maximè legum ineruditorum, deinde neque causarum habentium experimentum. De maioribus autem Magistratibus pergit: Nostris enim administratoribus adsunt modis omnibus assessores, & ea quæ legum sunt explicantes, & occupationes adimplentes eorum, quoniam multis detenti curis, quos apud nos habent, merito iudiciorum complent partem per suorum presentiam assessorum. Ita Cicer. pro Planc. Virtus, probi-

tas, integritas in candidato, non lingua volubilitas, non iuris scientia requiri solet, ut nos in mancipiis parandis quemuis frugi hominem, si pro fabro aut textore emimus, ferre molestè solemus, si eas artes nescierit; si autem emimus ut villicum, nihil in eo nisi frugalitatem, laborem, & vigilantiam curamus: Sic populus Romanus diligit Magistratus quasi Reip. villicos, in quibus si qua præterea est ars, facile patitur; si minus, virtute eorum & innocentia contentus est. Iterum de minoribus Iustin. Illi autem neque cingulum habentes, neque nobis ministrantes, nisi potuerint per se nosse quod iustum est, sed aliunde emendicare iudicandi honestatem, quomodo non maximum vitium erit Reip. non eis ex se quod agendum sit scire lites tradere, sed sinere eos quærere alios, à quibus liceat discere, quæ ipsos in iudicando eloqui decet? & iterum c. 11. reiicit Iudices ignorantés leges & experimentum. ad eò ut si tales à partibus electi perperam iudicauerint, nolit à Iudicibus ordinariis id emendari.

Belgici mores ferè ita habent, ut in quauis ciuitate, ex prima nobilitate aliquis constituatur, penes quem sit imperium, & gladius, aut etiam minor potestas, penes colligium aliquod iurisdicendi auctoritas. Drossardus ille, Schultetus, Maior, Ballius similiue titulo gaudet, hi plerumque scabini vocantur. Sine horum decreto nihil ille statuere in quemquam potest. Horum partes sunt leges & Iustitiam tueri. Illi itaque exactioris iuris scientia non est opus, sed iis dotibus, quibus auctoritas ei constet. In iis qui Iustitiam administrare debent, omni modo eam desideramus. Quando maximè verum est quod scribit August. Ignorantia Iudicis plerumque est calamitas innocentis. & Comicus: *Homine imperito nihil iniquius.*

Sapè enim imperitus Iudex etiam nolens ob ignorantiam lædit. ea tamen imperitia non excusat, quin litem faciat suam, vel pro Religione iudicantis castigetur d. l. 2. D. quod quisque iuris. *Imperitus Iudex litem facit suam, & minas diuinas expetit.* ibi DD. Del Rio ad l. contract. D. de regul. iur. Non potest culpa vacare qui ei rei sese immiscet, quam ignorat. nemo Fabro utitur qui ædificare nesciat, nemo medicum adhibet qui morbos & remedia non norit. & in foribus est diuinus terror, Baruch c. 3. quia non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. & Psalm. 81. (qui de Iudicibus est) mouebuntur fundamenta terræ (iura, legesque, quare ethi) ego dixi; dii estis, & filij excelsi omnes; (tamen) vos sicut homines moriemini (morte secundâ) & sicut vnus de principibus cadetis. de principibus tenebrarum. & Sap. 6. quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem Iustitiæ, neque secundum

voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit; quoniam Iudicium durissimum his, qui præsumunt, fiet. Conformiter Leo ad cler. Const. c. si in laicis 38. d. Si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis qui præsumunt, nec excusatione digna est aut venia? Quare Osee c. 4. Quia tu scientiam repulisti repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Alibi dixi sacerdotes iustitiæ esse Iudices. non malè Socrates malum vnicum inscitiam, bonum vnicum scientiam statuit. quippe solus sapiens iustè iudicat populum suum. Eccles. c. 10. Vnde deductum illud Horatij;

Ad summum sapiens vno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

9. In Ecclesiasticis porrò Iudicibus qui matrimoniales causas, adeoque similes arduas habent tractandas, eos dumtaxat admittit Alex. III. in c. 1. x. de consang. & affinit. qui sunt discreti, & statuta Canonum non ignorant. Eminens autem omninò scientia non requiritur ab Innocentio III. in c. cum nobis olim x. de elect. sed tamen conueniens. præsertim quam experimenta causarum probauerunt. d. Auth. de Iud. in princ. & qui negotiis cognoscendis, & iuri ad causam nato examinando adhuc se dedant, & semper ad se spectare putent monitum Vatis Regij Psal. 2. Erudimini qui iudicatis terram.

Ecclesiasticus nec impericus admittitur, nec emittitur doctus exigitur.

C A P V T XXIII.

Diligens.

1. Index diligens sit.

AD officium Iudicis pertinet lites diminuere. l. 26. D. si certum petatur. Non parum ad id facit, si iter ingrediat quod indicat Deut. c. 13. Quere sollicitè & diligenter, rei veritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem opere perpetrata, statim percuties. 2. Par. 19. Quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit, sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Quòd si Labeo in facto requirit non curiosissimum, neque diligentissimum hominem; sed eum qui rem diligenter inquirendo notam habere possit. l. 9. d. facti D. de Iur. & facti ignor. tamen facta aliena plerumq; ad nos pertineant, eorumque ignorantia obesse non soleat, procul dubio maiorem exigit in cognoscenda causæ veritatè, in eo qui de ea iudicare debet. Marcianus iuris ciuilibus præter veterè & bene fundatam peritiam, anxie diligens laudatur in l. 17. D. de Iur. patron. iustissimos & vigilantissimos Iudices laudat l. 3. C. de off. reët. prou.

2. Et expeditus.

D. Ber-

D. Bernardus de considerat. l. 1. c. 9. *Causas diligenter velim, sed breuiter decidere assuescas.* Iob. c. 29. inter causas benedictionis præteriti temporis refert: *Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.* Iudices oportet rei qualitatem plenâ inquisitione discutere. l. Iudices. C. de Iud. nam quidquid non discutitur, Iustitia non putatur. Cassiod. l. 2. c. 8. ergo Iudicantem oportet cuncta rimari, & tam diu actio ventiletur quousque ad rei veritatem perueniatur. c. vlt. 30. q. 5. Julian. in l. tutor qui. §. 1. D. de administ. tutor. Debit, inquit, confessim officio suo fungi. & iterum. Debit partibus suis fungi, non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoriâ cunctatione. Qui manum porrigit hærenti in salebris vel in foueam lapso, & tamquam Tantalo aquis immerso, idque diu tantû agit ne omnino submergatur, & cum extremi halitus iam pœnè sunt euaporati, atque animam merfus agit, tum demum extrahit: nã ille non rectè amicam operam præstitit, sed is qui quantociùs potuit ab incommodo vindicauit. Iudex qui in litigium lapsos expeditâ Iustitiâ extricare potest, & officio deest, cunctanter moratur; virum bonum, Iudicem bonum non præstat.

Sunt verò nonnulli, qui non negligentiam quidem aut culpam suam, prudentes peccent: sed quòd ambigui semper & suspensi hærent, dum dubia alia ex aliis sibi mouent, numquam satisfaciunt, numquam mouere possunt manum de tabula. Accidit id aliquando iis, qui insignes Aduocati fuerunt, soliti pro oportunitate clientum controuersias mouere, probabilem in vna, probabiliorem in altera causa partem defendentes, veritatis indaginem Iudici relinquentes, de ea ipsi rarò statuentes. Quibus vacillare consuetis difficile est postmodum constantem semel pedem figere, eique deinceps vestigio insistere.

Diligentia vt nimiam cunctationem, ita & præcipationem aspernatur; discretio sanè mater virtutum, nouerca verò Iustitiæ, iudicantis præcipitatio vocatur à Clemente V. Clem. pastoral. §. verum x. de sent. & Dei exemplo monemur ne ad proferendam sententiam vnquam præcipientes simus, aut temere indiligenterque indiscussa queque quoquo modo iudicemus: mala audita nullum moueant; nec passim dicta absque certa probatione quisquam vnquam credat, sed ante audita diligenter inquirat, nec præcipitando quicquam aliquis agat. c. Deus omnipotens 2. q. 1. Machetas à Philippo causam suam parum attentis auribus audiente appellauit: ab eoque rogatus, ad quem? Ad te ipsum, inquit, sed attentum & vigilantem. conuenit c. tuis ex litteris x. de in integ. restit.

Valens, Valent. & Grat. in l. 2. C. de sent. ex breu. recit. Iudices, 4.

*Sed accu-
ratus &
assiduus.*

quos cognoscendi & pronuntiandi necessitas tenet, non subitas, sed deliberatione habitâ post negocium sententias ponderatas sibi formant. Ideò Iudex sedens iudicat: illic sederunt sedes in iudicio. Psalm. 21. & monitum Sapien. c. 12. Cum tranquillitate Iudica: qui enim festinus est pedibus, offendet. Prou. 19. vt bene Liuius: Nihil magni discriminis consiliis tam inimicum quàm celeritas. & iterum: Omnia non prope- ranti clara, certa que sunt: festinatio improvida, & cæca. Tac. l. 5. Barbaris cunctatio seruilis, statim exequi regiū videtur. Sed verò pruden- ter Demosthenes: Consulere quidē oportet lentè, consulta exequi festi- nanter. & Arist. Celeriter deliberata peragenda sunt, deliberandū autem tardè. & Salust. Priusquam incipias consulta, & vbi consulueris maturè facto opus est. Idem ex Deut. c. 13. mox proposuimus, si inueneris certum esse quod dicitur, statim percuties. Illud ipsum est quod Prou. c. 31. discimus, In omnibus operibus tuis (non consiliis) esto veloc, & omnis infirmitas non occurret tibi. Vnde apud Tac. Hist. l. 3. illius reprehensio, cuius luxum obtendebat non parare arma, non allo- quio exercitioque militem firmare, non in ore vulgi agere, sed vmbra- culis hortorum abditis, vt ignaua animalia, quibus si cibum suggeras iacent, torpent que: præterita, instantia, futura pari obliuione dimiserat. Di- ligentiam Iudicibus iniungit & sedebunt. Auth. de Iud. à matuti- no tempore in vespertinum; sedere iudicatuos iubet. quod se fecisse sæpius Diuus ipse Augustinus narrat. quod si vnquam, sanè hodie, cum sunt ingentia litium volumina, atque ab ex- pedito iudiciorum Romanorum ritu longè abutum est, Iudici- bus deesse diligentia nequaquam potest. neque eam in discu- tiendis litis instrumentis tantum requiro, sed etiam ne existi- ment vnquam, quamuis diu in arena ista versati, se in scrinio pectoris omnia iura habere deposita. numquam definant re- uoluere codicem. quando non omnium, quæ à maioribus con- stituta sunt, ratio reddi potest, aut ratiocinando quis ea affe- qui. Multa quia legislatoribus ita placuerunt, iura sunt facta. Quod Principi placuit, legis habet vigorem. Ea denique quæ positiui, vt loquimur, iuris sunt, tam sunt multa, tanta que congeries, vt nemini tam felix sit memoria, vt ea illi omnia semper repræ- sentet. Sed sicut omnium artium, inquit Anaclet. in c. nihil d. 83. in suo quoque opere inuenitur mater Instantia, ita nouerca eruditionis est negligentia.

Perbellè Reges Persarum moneri solitos refert Plutarchus sub crepusculum matutinum; Surge Rex, Rempub. cura. Pulchrè Epaminondas in publica lætitia ciuium rogatus, cur mœnia obiret; respondit se sollicitum esse, vt ciuium lætitia posset esse secura.

secura. Quàm gloriosa vltima vox Vespasiani, decere Imperatorem stantem mori?

CAPVT XXIV.

Per gradus promotus.

Per gradus ad ordines & honores eundum est, non per saltum. Rectè Gregorius, cap. 2. d. 78. Ordinatur ergo ad ordines accedendum est. nam casum appetit qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per praecepta querit ascensum. Scimus autem quod aedificati parietes non prius lignorum pondus accipiant, nisi à nouitate sua humore siccentur, ne frantè pondera, quàm solidentur, accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant. Nam optimè Cyprian. cap. 1. d. 78. Momentaneus Sacerdos nescit habere humilitatem, obseruare modos personarum, vel se contemnere: non ieiunauit, non fleuit, non se correxit, non pauperibus erogauit. In arrogantiam (quae est ruina diaboli) incidunt, qui puncto hora necdum discipuli fiunt magistri. & sicut Innocentius ait, miserum est eum fieri magistrum, qui necdum didicit esse discipulus c. cum in magist. x. de elect. & Iustin. Nouell. 137. Quis instar figuli uno ipso die fictilia sua tornantis, ut à repentè fingat veri cultus antistitem, cum angelis stantem, & cum Archangelis laudes canentem, & Christo sacrificantem? & per hæc quidè indicat qualèsnà oporteat ad sacerdotium promoueri. De his autem qui ordinantur indigni, idem hæc dicit in eadem oratione: Qui cum nihil, inquit, ad sacrum Dei altare & sacerdotium attulerint, nec in virtute & pulchro prius insudarint, & elaborarint, simul discipuli & praeceptores pietatis ostenduntur, & priusquàm purgati sunt, purgant, heri sacrilegi, hodie sacerdotes: heri extra sacra, hodie praesules mysteriorum: veteratores malitiæ, nouitij pietate, qui sunt opus, atque fabrica humanae gratiae, non Spiritus sancti. Ideoque electionem alicuius in Abbatem mox à professione factam, Innoc. III. irritam pronuntiauit cap. officij. 38. x. de elect. Promouendos in iure discimus, qui minoris cognitionis officia gesserunt, ac prius minoribus, deinde maioribus cingulis bene vsi sunt. Legimus apud Liu. lib. 32. Tribunos plebis se interposuisse, ne T. Quintius Flaminius ex Quæstura ad Consulatum pertingeret. Iam, inquebant, a dilitatem praeturamque fastidiri, nec per honorum gradus documentum sui dantes, nobiles homines tendere ad consulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare. In militaribus etiam officiis per gradus ad honores iri solet. vnde Martè Graduum

1.
incom-
moda sit-
tuum illo-
rum q̄
causa gra-
duum q̄
commoda.

Festus

Festus dictum cupit. Rufus, diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus. Tac. l. 2.

Principatum, inquit l. 1. l. de offic. mag. offi. adipiscatur matriculâ decurrende, ita ut ad curas agendas & cursum illi exeant quos ordo militiae vocat. l. 2. quos labor prolixior fecerit antequam. & l. 12. de primicer. Illud præcipuè promissionem nouam flagitare perlegimus, ne per ambitionem, vel gratiam, aut cuiuslibet occasionis obtentu, vel laborum seu sollicitudinum specie, publicorum aliquando liceat cupiam graduum seriem conturbare, & temporum ratione calcata dudum militantis anteferri, & quæ longis prolixisque stipendiis defensa iam pollicetur senectus, gratiosâ festinatione surripere. Ita nemo ad patriciatum promouebatur, nisi cõsulatu, præfecti prætoris, magistri militum, aut magistri officiorum administratione functus. Actu, inquam, functus: nam honorariis tantum codicillis decorati centum libras auri in publica opera pendebant. l. nemini. C. de consulis l. 12. In Dacia nõ nisi qui aurarias procurassent, ad dignitates admittebantur, l. 4. C. de metallar. Sed & rem bene gefisse in minori officio ostendere oportet eum, qui altiore magistratu aditurus est, ut Zeno decreuit in l. 1. C. ut om. Iud. adeoque magistratum gestorum liberationes ostendere. Latè Borel. de magist. lib. 1. cap. 16.

CAPVT. XXV.

Secretus.

1.
Iudex se-
cretus sit,
illiusq;
miseri.

ARtissimum secretorũ custodem esse Iudicẽ oportet. Monet Sapiens Eccl. 28. Attende ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem. & iterum Prou. 20. Ei qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis; sed causam tuam cum amico tracta, & secretum extraneo ne reueles. Prou. 25. Iubet Auth. de Iudic. & ut nullat. cap. 7. ut neque ab eis aliquid peccetur, neque prodatur. Quare & Iudex cauere debet, ne eorum operã vtatur, quorũ linguæ fidelitatem probè notam non habeat. nam, ut ad Q. fratrem Cic. quos aut ex domesticis conuictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti; horum non modò facta, sed etiam dicta omnia præstanda sunt. Non ille Rex filio in regnum quamuis successuro, sciscitanti quã horã postridie exercitus proficisceretur, responsum dedit: sed interrogauit, an vereretur ne solus ille sonitum tubæ non exaudiret?

audiret? *Alium flere quod cupis, primus fle.* Dignum Romanis, ut arcana consilia PP. Conscriptorū multis seculis nemo senator euulgaret. Dignum Papij exemplum. Dignum Rep. Venetā, ut quæ consilia tanto numero agitant, extra senatum nemo efferat. Nec inferiores vntarum Prouinciarum Belgic. Ordines, vbi non vntus ciuitatis PP. Conscripti, non vnius gentis; sed tot ditionū cōueniunt, quiq̄ in singulos annos mutantur, tā obstinato silētio cōsulta tegūt. Octauianus August. Thallo à manu crura effregit, quòd pro epistola prodita denarios quingentos accepisset. *Sacramentum regis abscondere bonū est, Tob. 12.* Qui hostibus consilia produnt capite luunt. *l. omne. s. exploratore. D. de remilit.* qui aliis tegendapandunt, pro causæ merito puniuntur; atque in primis Iudices affloresq̄, qui arcana litium reuelant, quod si accidat in negotio fidei, anathemate feriuntur. *c. vlt. de heret. in 6.* Veteres etiam officij Iudicem moneri voluerunt vel à nomine loci, in quo causæ audiebantur. Secretariū is nuncupabatur. *Qui fidei est celat amici commissum Sap. c. 2.* Denuddare autem amici mysteria, desperatio est anime infelicis. *Eccl. c. 27.* *Audiisti Verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, si dens quoniam non te disrumper.* *Eccl. c. 19.* quanto magis Iudicem, senatorem, magistratum, arcana sui officij publicare non oportet? atque sanè res magnas sustineri non posse ab eo, cui tacere graue est, pridem creditur. *Miranda apud Tac. l. 15. Annal.* Libertinæ in celando arcano pertinacia. *illam non verbera, non ignes, non ira acrius torquentum, ne a femina spenerentur peruicere, quin obiecta denegaret.* Sic primus quæstionis dies consumptus. Postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur, gestamine sella (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinculo fasciæ quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sella restricto indidit ceruicem, & corporis pondere connisatenuem iam spiritum expressit. Clariore exemplo libertina mulier, in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui & viri equites Romani senatoresq̄, intacti tormentis, charissima queque suorum pignorum proderent. Igitur rectè *Calist. l. 19. D. de off. presid.* Non est resti & constantis Iudicis, cuius animum vultus detegit. minus recti erit cuius commissa causarum negociorumque arcana lingua prodit. **Index is est, non Iudex.**

CAP.

CAPVT XXVI.

Concordiæ studiosus.

1. **S**OROR Iustitiæ pax est. *Iustitia & pax osculatæ sunt. Psal. 84.*
 Conuenit
 iudici
 tranquil-
 litatem &
 concordia
 amare.
 at verò inter arma silent leges, lites quædam bella ciuilia
 sunt, quæ iustitiam illiusque socias virtutes quo ad liti-
 gantes respuunt. *Congruit ergò bono, ac graui præsidii, curare, ut pa-
 cata ac quæta sit prouincia, quæ regit. l. 13. D. de offic. Præf. Consonat
 l. 5. C. de his qui ad Eccles. confug. ut simul cum germana iustitia
 consistat, & cum ea leges, virtutesque: quas bella, lites, iur-
 gia exulatum agunt. cur enim ad arma & rixas venire patiatur
 prætor, quos potest Iurisdictione suâ componere? l. 13. §. 2. D.
 de usuf. Inter mandata Principû secundum locum ea cura ob-
 tinet. Auth. de mand. Princ. c. 2. Deinde conueniens est, inquit Iust.
 & te prouidere, ut nulli populi ciuitatum alterutris seditionem faciant,
 sed omnem pacem esse Dei ciuitatibus. cuius illud, Beati pacifici, Matth.
 5. & illud discipuli, Pacem diligite, & Deus pacis erit uobiscum. ad
 Philippens. 4.*

2. **S**ed hoc in controuersiam traxerunt aliqui, an officio Iudi-
 cis, & grauitati conueniat, anniti ut priuatos litigatores conci-
 liet? de publica enim quiete, & quæ à Iudice, Iurisdictione nõ
 proxeneticis consiliis contineri potest, iam citatas leges intel-
 ligunt & Imperat. meminerunt Præsidis, pacifici suadentis, in-
 quam, non cogentis. Id enim prohibitum videtur. *quia lex,
 Auth. ut litig. iurent. notat. Bart. in d. l. 13. de offic. Præf. ut reiicien-
 da sit incauta Cepolæ cautela, suadentis includi litigantes si-
 mul in carcere; donec conueniant. Vnde nec liceat nimio me-
 tu partem sternere, aut nimiam fiduciam inflare. Imò Iudex diffe-
 rens Ius dicere, quo partes tædio affectæ conueniant, tenetur
 ad id, quod interest. Card. in Clem. sepè in 5. & quia in 18. quest. de
 verb. signif. Et verò ratio euincit, ut nemo cogi ad transigen-
 dum possit; Pacta enim omnia & contractus duorum consen-
 sum requirunt. *Vt nemo inuitus uendere cogatur. Tit. Cod. nemo
 permutare, pacifici, transigere, sed & transactio uel ideo inui-
 to iudici nequit, quod de iure suo cedunt semper transigentes,
 donare nemo compelli possit. Caterum non eò pertinet d. §.
 quia lex. agit enim nõ de Iudice, sed de referendariis dumtaxat,
 quibus declarat esse tantum ius deferendi desideria supplicum
 ad Principem, & insinuandi Iudicibus sacras iussiones; causis
 verò**

verò eos se immiscere non posse, velprehendendo litigatores, vel satisfactionem exigendo, vel adigendo eos ad pactionem, vel transactionem aliquam. Cuiac. *ad eandem. Nouel.* 124. & *nouel.* 10. Vnde potius sequeretur, Iudicibus, qui se causis immiscerent, hæc licere. nisi ratio quam mox explicui, vetaret coactas pactiones. Quanquam Conc. Cathag. IV. non parum videatur permittere in clericis: *Discordantes clericos Episcopus vel ratione vel potestate ad concordiam trahat. c. 1. d. 90.* & laicis in inueterata lite. Concil. Agat. *c. placuit. d. 90.* adeò vt communionem priuet & dissidentium oblationes recipi vetet idem Carthag. Conc. *d. 90. c. 2. & seqq.* Suaserat ergo ille Præses. sed & suaserat proximis personis. Vnde Thuld. *de caus. corrupt. Ind. l. 3. c. 17.* existimat inter eos id tentandum Iudici: vt id faciat inter extraneos minus conuenire illius grauitati. Sed sanè illa lex narrat factum Præsidis, non probat, non improbat: non restringit ad proximos, non laxat: igitur ad rationem res, atque alias leges referenda est. Ratio, sanè præsertim Christiana, suadebit, vt quacumque via reduci iustitiæ germana possit, conductus ei à Iudice detur. allaboret ipse, vt litigantes eam hospitentur. Leo *Serm. 2. de Ieiun. 10. mensis. Studeamus viduarum defensionem, pupillorum utilitati, lugentium consolationi, dissidentium paci.* Nemo negat viduarum, pupillorum, aliarumque miserabilium personarum curam ad Iudicem pertinere; itaque dissidiorum ratio pertinebit, vt Leo coniungit. neque verò quod disertè quidem magis illæ leges de publica quiete iniungunt, priuatam concordiam excludunt. Constitutio Frider. *de pace tenenda*, non ad publicam tantum causam, sed priuata etiam iurgia pertinet. imò verò quod de corpore mandant, de membris intelligunt: & singuli qui incendia curare iubentur, scintillas mandantur non negligere. cui quies omnium est commendata, singulorum est adiecta. quando non rarò visum est ob priuatam duorum contentionem in partes iuisse plures familias, atque integras ciuitates, atque Syllanis & Marianis cladibus partes vicissim dedisse. *Homini religioso, inquit Calistus, parum esse debet inimicitias aliorum non exercere, vel non augere malè loquendo, nisi eas etiam extinguere bene loquendo studuerit. capit. iniustum. 11. question. 3. & Stephan. epist. 2. ante medium: Studendum est Episcopis (Iudices ij sunt)*

ut dissidentes fratres, siue clerici siue laici sint, magis ad pacem, quam ad iudicium coerceantur. c. studendum d. 90. Quicquid illud est quod nos ad vera pacis studium & caritatis perfectionem prouocat, totis viribus sectandum est. Arelat sub Carolo. c. 12. Capit. l. 7. in addit. c. 63. Meld. c. 7. Valent. sub Lothar. c. 13. 14. vbi inquit, Si hæc negligantur, non inter pastores, sed interfectores Christi ouium inuenimur. Sanè August. de opere monach. c. 29. queritur se tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis secularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis.

3.
An arbitrium age-
re?

Rectè sanè Anthonius Faber, vir non tantùm insigniter eruditus, sed longâ rerum indiciorumque experienciâ etiam clarus, existimat, constitutionibus Gallicis benè iussum esse, vt in iudiciis inter consanguineos semper tentetur transactio. quod & inter eos qui nullo sanguinis vinculo ligantur, credit suadendum: imò vt & Principes lege latâ sanciant inter omnes tentanda pacta, & qui experimentum illud subterfugerint, siue deinde victores siue victi fuerint, semper expensis mulctentur. lib. 9. sui Cod. tit. 22. Vbi & arbitria & plura ad præscindendas lites aut intra breuia spatia concludendas ipse proponit legislatori qui lites execratur, & bono publico fauet, digna eruditione, iudicio & experienciâ tanti viri. non tamen mihi vnquam placuit, vt cum iuramento arbitri sumantur. quâ praxi vtuntur tamen hodie quidam, improbatâ licet à Instin. Nouel. de Iud. 8. quia verò. Auth. decernit. C. de recept. arb. Neque facit aduersus prædicta quicquam quod obiicitur arbitriis, offensum illi litigantium fore Iudicem, quem conceptam à se transactionem nolle amplecti viderit; primò enim præsupponimus Iudicem esse quem oportet, virum probum: à quo id alienum: deinde non succedente transactione, Ius dicere debet, ex actis & probatis, & causæ meritis, non respicere ad extrinseca. denique si aliud quod ad expensas fortè litis pro voluntario compensandas, qui non temerè videbitur litigasse, qui Iudici, proponenti concordiam, voluit obsequi, statuendum Iudici visum fuerit iuxta Fabri propositum, religioni illius, non offensioni, cui vir bonus, Iudex bonus nil ex iure partium dabit, id committam. & hanc sententiam præter citatos iam Canones suadent c. 1. de mut. petit. c. fin. de transact. c. causam q. 19. x. de test. cap. si illis 23. 4. 4. cap. querelam 15. de Simon. cap. si primates 5. q. 2. l. æquissimi

aequissimum de resus. l. 1. §. post. de nou. oper. nunciat. l. 4. de aq. quotid. & summorum vbiq; atque inferiorum tribunalium praxis amplectitur. vbi in obscurioribus causis puncta officij (vt vocant) partibus proponi solent; quorum sæpè vnicum, plerumque primum est, vt commissarij annitantur litigantes concordare reddere. In obscuris inquam. namque in claris, & vbi iniquitas alterius manu tangitur, iniquè egerit Iudex, si alterum ad transigendum, & de iure suo remittendum vel consilio suo adegerit.

Non potest tamen Iudex recipere arbitrium eius rei, de qua Iudex est, & in se compromitti iubere prohibetur lege Iulia. l. 9. §. 2. *D. de rec. arb.* quod posterius ratio probat; ea enim iussio eò spectare videtur vt dissolutior, vt arbiter, quàm vt Iudex grassari possit. Volentibus autem suâ sponte partibus, vt Iudex arbitrium recipere possit, fauente Canonum iure, consuetudo passim admisit. *Bus. ad l. 9.* Enimuero postquam arbitria ad instar iudiciorum redacta sunt, non nimium probo vt Iudices partibus suadeant, vt in se compromittant, sed neque vt etiam volentiū arbitrium promiscuè in se suscipiant: sed eorū tantū, quorum tum enixa est voluntas, tum integra sinceritas, & ius tantum petentium, sine diuerticulis votum. alioquin inter pænè inuitos, & moribus asperos difficilius arbitrij iure causa instruitur, quàm imperantis iurisdictione; & cum arbitria passim fere sint eneruata ab iisdem reductionibus, ad ordinariam iurisdictionem permissis, suspensâ sententiæ executione, donec à Iudice firmata fuerint, multiplicantur instantiæ sæpius quàm remedia præcidendis litium ambagibus reperiantur. Adeoque hodie maximè verum est, quod asserit Seneca, *de benef. l. 3. Melior videtur conditio causæ bonæ, si ad Iudicem, quàm si ad arbitrium mittatur.* Itaque donec arbitriis sua erit restituta auctoritas, parciùs iis vtendum reor, nisi inter eos qui sincerâ admodum fide ius suum prosequuntur. Neque interim displicet ratio quorundam, qui eo nunc pacto arbitros eligunt, vt apud eos causæ instruantur, & concepta ab eis sententiæ formula Iudici pronuntianda tradatur, ei præsertim qui non obstante appellatione seu reformatione ius habet exequendi, vt sunt Magistratus quatuor capitalium, vt vocant, vrbium Brabantia, cuiusque his in locis.

Sed, quod ad Iudicem pertinet, vt mihi non semper probatum, ut is promiscuè ex ordine suo defluat in gradum arbitrorum

F 2

bitrorum

4
Nulli
dignitate
imminuit

bitrorum, quod sine authoritatis offensa, nisi inter bonos admodum vix fieri potest; ita viri boni officium ab eo semouendum numquam putavi, vt inter dissidentes conetur turbatam pacem reducere, vtrisque dubios litium successus, ambages, molestias, sumptus, rancores, cetera incommoda proponendo, vtrisque aliquid de iure sub cedere suadendo, vt non quidquid petit actor obtineat, neque nihil reus quò lite defungatur, tribuat, atque ita transfigant partes eo intercessore potius, quàm arbitrij viam ineant.

Neque moror, dedecere proxenetam transigentium videri Iudicem: non dedecet, si hortando dignitate salua litigantes mutua contentione liberet, volentes, cum in inuitos ius dicturus, non semper controuersiam finiturus est; aut si finiturus, non contentiones, simultates, dissidia personarum, familiarum, Rerump. quæ exigua sumptis paulatim incrementis integras sæpè Resp. perdiderunt. Pietatis officio fungi eos dicit Papin. qui iurgio perempto consensu rem dirimunt *l. vlt. D. fam. ercise.* Non dedecet ergo Iudicem, si pietatis subministrum se exhibuerit, non dedecet Iudicem, quod decet iustitiam. *Iustitia & pax osculantur sunt.* Illud commercij & necessitudinis si inter has sit virtutes, fieri nequit, vt ab officio Iudicis pacis atque concordia recuperanda omnis ratio sit aliena. Non tamen hæc pro tribunali fieri opportunè consueuerunt, vbi potestatis persona nõ est exuenda, sed solet domi suæ Iudex statò die adesse litigantes iubere, vbi quasi inter parietes priuatos minùs imminui videtur publica authoritas, si conciliandis partibus, quodamtenus personam amici assumpserit. Sanè Concil. II. Turon. t. 2. pœnitentiæ eos subiicit, qui electis vtrisque arbitris litium iacula finire noluerint, & vota pacis requirere. D. Paulus Corinthios, ep. 1. d. c. 8. reprehendebat, quòd iudicio inter se contenderent, & quidem apud infideles; monebat vt ex se eligerent, qui iudicarent, vtique iure priuato, seu vt arbitri; nam priuatorum electio iurisdictionem non tribuit. Greg. l. 1. reg. ep. 40. *Gloria vestra, inquit, præcipiat Donatum officialem cum Iuliana ancilla Dei arbitræ subire iudicium.*

CAPVT XXVII.

Facilis.

HVmanitas vetat superbum esse aduersus socios. Vetat
 auarum, verbis, rebus, affectibus *comem se facilemque*
omnibus prestat. Sen. ep. 88. Facilis ergo vt Iudex sit in
 admittendo & audiendo litigatores, tum pars magna est rei
 bene cognoscendæ, bene iudicandæ; tum porro tædij litigato-
 rum magnum leuamentum, quibus ipsæ litium morosæ tricæ
 satis molestiæ adferunt. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat*
inimicos, Eccl. 6. Popularis, inquit Ambr. 2. offic. c. 7. & grata est om-
nibus bonitas, nihilque quod tam facile illabatur humanis sensibus. ea si
mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione precepti & affa-
bilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum vice,
molestiæque adiuuetur gratiâ, incredibile quantum procedit ad cumu-
lum dilectionis. Legimus enim non solum in priuatis, sed etiam
 in ipsis Regibus quantum facilitas blandæ affabilitatis profue-
 rit, aut superbia verborum obfuerit: tumor vt regna ipsa labe-
 factarit & potestatem soluerit. *Cor gaudens exhilarat faciem, in*
mærore animi deiicitur spiritus. Prou. 15. Laudat Cicero facillimos
 aditus ad Q. Fratr. esse. Suetonius Augustum magnâ comitate
 adeuntium desideria excepisse. Idem Titi egregiam vocem
 prædicat, Non oportere quenquam à sermone Principis tri-
 stem discedere. nam *sicut fremitus Leonis, ita & Regis ira; & sicut*
ros super herbam, ita & hilaritas eius. Prou. c. 19. & Plinius: Nulla in
audiendo difficultas, nulla in respondendo mora. & Aufon. faciles præ-
bere aditus nec de occupationibus causari. & iterum, finem sermonis
suus cuique pudor, non fastus tuus facit.

Sed & lege ciuili id decretum est, vt Iudex in adeundo faci-
 lem se exhibeat, in respondendo grauem. *l. obs. 9. de offic. Præsid. l.*
congruit. ibid. & lege sacrâ, Eccl. c. 4. Congregationi pauperum affabi-
lem te facito. In Constantino Nazarius laudat faciles aditus,
 aures patientissimas, benigna responsa, vultum ipsum au-
 gusti decoris grauitate, hilaritate permistâ venerandum quid-
 dam, & amabile renidentem. Cyclopi maiestas fuit:

Nec vultu facilis, nec dictu affabilis vlli.

Familiarer ergo se exhibeat, & comem, & facilem Magi-
 stratus. sed prudenter tamen, ne remoueat grauitatem,

F 3

quæ

1.
Facilitatis
encomium
& commo-
dat.

2.
Iudicem
leges facile
esse iubent

3.
Prudenter,
& sine con-
tempus
periculo.

quæ obfistit nascenti ex facilitate contemptui, prono deinde ad ingratitude. quam Innoc. III. in c. etf. x. de Iud. Iudæis assignat, & retributionem quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hostibus exhibere. Pulchrè de mortuo Germanico Tac. An. l. 2. Indolere exteræ nationes, regesque. tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes, visuque & auditu iuxta venerabilis; cum magnitudinem & gravitatem summa fortune retineret, invidiam & arrogantiam effugerat. Quò respicit iam desperabundi Antiochi vox, præterita recolentis: 1. Machab. 6. In quantam tribulationem deveni, & in quos fluctus tristitia, in qua nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea? Prouida proinde monitio Sapientis, Eccl. c. 4. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi. & iterum, Eccl. 32. Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto quasi vnus ex ipsis, valeat ius imperij, inania transmittantur. Tac. An. l. 15. Meminerit semper Iudex in sitam mortalibus naturam recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, modumq; fortuna à nullis magis exigere, quam quos in æquo videre. Caueat ne se efferat, ne insolens audiat, priuato & ex mediocritate fortuna minora pericula fuisse. Idem, l. 14. An. Facilitatem ergo comitatemque amet: sic tamen, vt & nimia non sit. l. obseru. D. de off. Proc. vt sic contemptum omnino vitet, causam illius omnem abscindat. nam Reip. omnis administratio, atque imperium opinione continetur. Homines naturam pares sunt; consistunt existimatio; fama; auctoritas in opinione. eam si sustuleris, ad chaos, confusionemque omnem hæc Vniuersi directio relabatur. non erit qui audiat imperantem, non qui obediat iubenti; non qui ius dicenti pareat: sed & mandatis Principum continebatur, ne quem Prouincialem in interiorum familiaritatem admitterent Præsides: cui & altior causa accedit, ne arcana eorum in periculum Reip. scrutentur.

5. Sed & quamuis Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit: Eccl. c. 20. in Iudice. tamen etiam sermonis gravitatem requiro. & quamuis comiter excipiat, atque audiat ad euntes, nihil tamen polliceatur quod præstare non possit. Non potest quidquid sine iniuria non potest: Non potest sine iniuria ius alterius alteri dare; non aliquid addicere, quod ad rem iudicandam attinet, nisi diligentiam suam. commendationes, vt hodie nimium frequentantur, decet comiter excipere, ius sequi: nec aliud amicitiae dare, aut commendationi quam quod inquit Symmachus l. 1. ep. 10. Iustitia quidem suffragium non requirit, sed amicitiarum plerumque respectu celeritas causarum adiunatur.

Deni-

Denique in respondendo grauem esse, vt iubet Calist. *in d. l. obseru. non asperū tamē. Vnde ita Ambr. 3. offic. c. vlt. Neque mo- nitio aspera sit, neque obiurgatio contumeliosa.* graui sermone, modesto, incomposito, non dissoluto tamē vti. neque itidem tamen affectato, non extra modū verborū vel cultum, vel obsoletam nouitatem quærere. quod Tuberoni vitio datum à Pompon. *l. 2. D. de orig. iur. Tubero, inquit, doctissimus quidem habitus est iuris publici & priuati, & complures vtriusq; operis libros reliquit, sermone etiam antiquo vsus, affectauit scribere, & idè parum libri eius grati habentur.* Quo vitio Gallici quidam hodie scriptores laborant; qui suis ipsi libris elenchos, indicesq; vocabulorum suorum interpretes adiungere debent, quò intelligantur. Loquendum vt multi; præsertim iis, quos passim intelligi, & finis suus esse debet, & publicus.

Generatim id potrò Iudicem cauere optandum est, ne sermone, aspectu, oculis, gressu, vllòve corporis situ, aut motu, arrogantiæ quidpiam, aut superbiæ præ se ferat: quæ sapientiam, quæ Iustitia cognoscitur, obcæcat; & idè per superbos Gregor. eos dicit intelligi, qui albuginē in oculis habent; quos lex diuina vetuit ordinari. *Albuginem, inquit, habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur; quia arrogantia sapientiæ, seu Iustitiæ cæcatur: Si autem candorem sibi Iustitiæ, siue sapientiæ tribuit, à luce se supernæ cognitionis excludit, & eò claritatem veri luminis numquam penetrat, quò se per arrogantiam exultat, sicut de quibusdam dicitur: Dicentes enim se esse sapientes, stultifaciti sunt. c. 1. d. 49.* Quare Deut. c. 17. diuina lex instruens Principem recens constitutum, præcipit inter cætera, *ne eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos.*

CAP. XXVIII.

Veritatis amans.

A Deò enim Veritas Iustitiæ innexa est, vt sub illius vocabulo hæc significetur. *Lex tua veritas.* Vnde apud Iurisconsultos *l. 2. de fund. dot.* & alibi sæpius ea phrasis, *Verius puro, iustius & equius* significat. quod Budæus, aliique monuerunt. *Verus pro iusto,* à Cicerone etiam & Iurisconsultis vsurpatur *l. omnes de in integ. res. l. si fideiussor in fin. de legat. 3.* Filium verum Labeo vocat *l. vlt. D. de Iur. libert.* iustum & legitimum; & in sacris litteris Deut. 17. *Indicabunt tibi veritatem;* Prou. 29. *Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.*

bitur. Sachar. 7. Iudicium verum iudicate. Psal. 18. Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Psal 88. Misericordia, & Veritas procedent faciem tuam. In hæc specula Iudex oculos semper figere debet. Aaron ideò ornabatur Rationali, quo figurabatur Veritas, & Iudicium, Exod. c. 28. Druides etiam collo appensam Veritatis effigiem gestabant. Bodin. de Rep. lib. 6. c. fin. Non aliam, inquit August. lib. de libero Arbit. putes esse sapientiam, nisi Veritatem, in qua tenetur, & cernitur summum bonum; nullo loco est, nusquam deest, foris admonet, intus docet, dementes in se, omnes in melius commutat, à nullo in deterius commutatur, nullus de illa iudicat, nullus sine illa bene iudicat.

2. Ideo secundum veritatem. an non actus iudicandi Quapropter in solempni illa quæstione, An Iudex ex conscientia, an secundum edita in lite instrumenta iudicare debeat, rectè Hotoman. illust. quæst. 25. Ventura de Valent. in Parthen. litig. l. 2. c. 8. n. 12. à Veritate eum discedere nullatenus posse asserit. Ideòque si perspectam eam habet ab eoque prouocari non potest, ex animi sententia, religione, & conscientia iudicare debere: sin autem ab eo appellari permissum est, in officium testis descendet, & Iudicis functione abstinabit. in quæstione enim facti, prout religio ei suggerit, sententiam proferre debet, l. eum 79. D. de Iud. Fidem autem probationum ipse æstimat. l. 3. §. 3. D. de test. neque de ea Præses vt de iure respondet. d. l. 79. sin autem causa est ambigua, laboret vt eam interrogando ac aliis viis iuuet, Clem. sepè. de V. S. l. Iudices. 9. C. de Iud. l. penult. §. de interr. act. ac Veritatem luce donet: sin autem eò non possit peruenire, cum non liquet, reum absoluat.

3. Propria Iudicum virtus Veritas. Consilium Ihetro Moyfi datum, Iudices subsidiarios ab eo eligendos exigit, in quibus fit Veritas. Vbi Salian. in Annal. ad ann. mundi 2544. n. 733. in Hebræo ait haberi viros Veritatis, scilicet amatores Veritatis, qui eam colant ac defendât ipsi, & ab aliis diligi ac defendi velint: simulationem, hypocrisim, adulationem oderint: fictos & quos Scriptura vocat duplices corde auersentur: candorem dictorum factorumque amplectentur: in calumnias & falsa testimonia seuerè animaduertant. Qui Veritatem pro pecunia negant, Deum utique pecunia vendunt: qui Veritatis in se spernunt, Deum utique qui Veritas est produnt. c. abiit Iudas 11. q. 3. Pessimum ergo hominum genus adulatores, qui Veritatem vendit, quò gratiam Principum aucupentur. eoque detestabilius, quò in grauioris momenti causa & persona amplioris estimationis accidit, Vtinam non hodie contingat ab ortu solis usque

que ad Hesperias columnas; quod suo sæculo queritur Senec. de benef. l. 6. Monstrabo tibi cuius rei inopiã laborent magna fastigia, quod omnia possidentibus desit scilicet ille, qui verum dicat; & hominem (inter mentientes stupentem, ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum) vindicet à consensu concentuque falsorum. non vides quemadmodum illos in præceptis agat extincta libertas, & fides in obsequium seruire submissa? dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque: sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissimè fallat.

CAPVT XXIX.

Auerfus a detractoribus.

Detractores, nec esse ipsos, nec pati Iudices conuenit. 1.

Remoue, inquit Sapiens, Prou. 4. à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te. & iterum Prou. 24. Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum. Eccl. 28. Linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras, quia Detractores odibiles Deo sunt. Paulus Rom. 1. & lingua detrahens, ciuitates muratas destruxit, domos magnatum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit.

Quare rectè Dauid Psal. 100. Detrahentem secretò proximo suo hunc persequer. Etenim Princeps qui libenter audit. Verba mendacij, omnes ministro habet impios. Prou. 29. Audit libenter, si semel mendacij conuictos impunè iterum nocentes audiat. Rectè Anterus Papa c. ex merito 6. q. 1. Caueat vnusquisque ne aut linguam, aut aures habeat prurientes, ne aut ipse aliis detrahat, aut aliis audiat detrahentes. Nemo inuito auditori libenter refert. officij singulorum sit non solum oculos castos seruare, sed & linguam, nec quid in cuiusquam domo agatur, alia domus per eos vnquam nouerit.

Nihil enim, ait Pius Papa c. nihil d. 5. prodest homini ieiunare & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obretractationibus lingua cohibeatur. Fortius D. Iacob. 1. Si quis putat se religiosum non refranans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Iudex ergò probus ne detrahat, & alterius improbitatem non prouocet, si audiat. si vel nutu significauerit narrationem sibi ingratham esse, nemo inuito referet. nam vt ventus aquilo dissipat pluuias, ita facies tristis linguam detrahentium. Prou. 25. Peccat contra prima iustitiæ principia, cuius ta-

men

1.
Oderit eorum con-
fortium:
no iuum.

2.
Mendacij
dissipet.

3.
Alioquin
prouocat.

men insignia vbique præ se ferre Iudex debet, si detrahendo alterum lædit, aut detrahentem non illibenter audiendo, non suum cuique tribuit, famam aliterius, illæsumque statum existimationis non conseruando, cum dicit, aut audit quam de se narrari fabulam nollet. Benè Paulin. *Quod si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrektoribus crederemus, iam omnes detraberetimerent, ne non alios, quam se ipsos viles detrahendo facerent. sed hoc ideo malum celebre est, idcirco in multis feruet hoc vitium, quia pene ab omnibus libentur auditur.* & Hieronymus; *Cum detractor tristem faciem viderit audientis, imò non audientis, sed obturantis aures suas ne audiat iudicium sanguinis, illicò conticescit; pallent vultus, hærent labia, saliuæ siccatur.* De Pertinace Herodian. *Detractores urbe exegerat & ubi inuenirentur, puniri imperauerat; cauens ne cui de vanis criminibus periculum constaretur. quin de ipso Domitiano Sueton. Fiscales calumnias magnâ calumniantium pœnâ repressit: ferebaturque vox eius; Princeps qui delatores non castigat, irritat. Audiant vtinam imitenturque Iudices, Magistratusque Christiani! audiant vtinam sequanturque Ecclesiæ Prælati, attendantque sacros Canones talionem aliaque pœnas huiusmodi linguis irrogantes! 2. 8. c. 4. 6. q. 1. c. 17. 2. q. 8. c. 3. 2. q. 7. c. 50. 11. q. 1. c. 32. 2. q. 3. c. 2. 3. q. 10. c. 2. 1. q. 6. c. ult.*

4.
Libellorum
famosorum
auctores
compescat.

Sed & huc pertinent libellorum famosorum auctores, vt comperti seuerè puniantur, & legum in eos seueritas aliorum petulantiam compescat.

5.
Saluâ hi-
storiarum
Veritate.

Ex aduerso malè de Rep. merentur qui veracem libertatem eorum qui non imprudenter scribunt historias, comprimere conantur. *Socordiam eorum, inquit Tacit. l. 4. irridere lubet, qui præsentis potentiâ credunt extingui etiam posse cui sequentis memoriam; nam contra punitis ingenis gliscit auctoritas.* Sed & hoc malum assequitur Respub. vt cum exteri vel aduersarij scribunt historias, vel ignorantia peccent, vel per malitiam errores, mendaciaque interferant: & cum maximè interfit non ad popularium tantum animos in officio, amicos in fœdere,

6.
Ob earum
etiâ præ-
sentiam
utilitatem
publicam
præsertim
populorum
discrimen
noscedū.

exteros in opinione retinendos, bellum v. g. iustum esse, iusteque geri palam, vt passim existimetur; omninò è Rep. est, vt non abiterreantur modò, sed & inuitentur quibus stylus, prudentia, & rerum cognitio suppetit, qui veritatem rerum gestarum tradant. Id quod si à nonnullis satis curatum fuisset, quis credat fieri posse, vt non tantum in religione dissentientes, sed Christianissimi principes & sacrorum mystæ bella illa, non iusta modò, sed & subsidiis suarum gentium

iuuan-

iuuanda crederent, quo præter causæ iustitiam religio evertatur, & locis omnibus per ea occupatis eliminetur. quod fieri tamen videmus omnes, qui videmus. Verè & liberè ergo scribantur historiæ, quibus res præsentis liqueant, & ex quibus posteris rerum gerendarum documenta desumant, quæ vitent, quæ imitentur habeant. Quanquam enim veteres Romanorum aliarumque gentium historiæ promptuaris sint omnis ciuilibus, & militaris prudentiæ; recentiores tamen & cuiusque gentis historiæ propius quemque docent, præsentis sæculi mores, Principum ac populorum ingenia, naturam, atque regendi modum. quæ omnia diligenter inuestiganda sunt. Aliter cum gente agendum, cuius prima prælia plusquam virorum, postrema minus quam faminarum; aliter cum ea quæ durum semper in armis genus, aliter cum iniqua, & in res nouas auida; aliter cum ea quæ in fide obstinata, cui non ex fortuna pendet fides, aliter cum ea quæ bello læta, & factis magis strenua quam linguâ; aliter cum ea quæ statariâ pugna, hastis siluarum inlar condensatis, tardo & ad tympani sonum composito gressu procedens, nulli armato in acie parcat, nullum fugientem persequitur; aliter cum iis quibus omnis virtus velut extra ipsos, nihil ad pedestrem pugnam tam ignarum, ubi per turmas aduenere, vix vlla acies obstiterit; aliter cum iis qui nec integram ferre possent seruitutem, nec integram libertatem; aliter cum iis qui nihil seruitutis, vel nihil libertatis olere possunt. Hæc omnia docent historiæ. & cùm aliorum regimen bene, aliorum malè cesserit; aliis victoriæ, aliis clades obuenerint, dummodo veraces esse liceat. Si non liceat, perinde est, ac si in tempestatibus scopulos, syrtes, charybdes oculere iubeantur. nec tamen à censura omni eximo. non sunt admittendi si plus moribus noceant, quam ingeniis profint.

CAPVT XXX.

Adulatoribus inimicus.

Quia nullum animantium genus assentatoribus est perniciosius, nullum quod citius in præcipitia audientem deducit: *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. Ps. 139. Serpentem non times,*

1.
Qui sum-
mopere
iudici ca-
uendi.

nec

nec venenum? vtere eiusmodi linguis. Et quoniam Iudicem Magistratumque necessarium est veritatem scire, quò iustitiam tueatur, eò magis à genere hoc hominum abstinere necessarium est, qui veritati tenebras offundunt, quibus in deuia abducatur. Quare Chrysof. *Inimicum ne laudantem quidem probo, amicum verò & reprehendentem amplector. ille et si me osculetur, insuaus est: hic & si vulneret, amabilis.* Precatur Dauid Ps. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Precetur Iudex, & caueat ne blandâ simulatione ei rigor veritatis emolliatur, obfusseturque, ne cognoscere non possit, quod iudicare, quod regere, quod administrare debeat. *Quisquis adulatorem excipit, serpentem sinu fouet; plus persequitur linguam adulatoris quam manus persequentis.* August. in Psal. 59. *Regum opes sæpius assentatio, quam hostis euertit.* lib. 8. Sic habendum, nullam pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditias, assentationem. Cic. *Optimè de re tota Bernard.* *Vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Laudamus mendaciter delectamur, inaniter: ut & vani sint qui laudantur, & mendaces qui laudant. alij adulantur, & ficti sunt; alij laudant, & falsi sunt; alij vtrorumque preconiis gloriantur, & vani sunt.*

CAPVT XXXI.

Verax, & Candidus.

1.
Procul à
dolo, ma-
chinatione,
mendacio, lingua
bilingui.

Quantum quisque desiderat non decipi, tantum amat virum candidum, veracem, simplicem, atque rectum, neque rebus neque verbis eum, cum quo commercium illi, aut sermo est, fallentem. Simpliciter, & candorem, veracitatemque quam maximè in Iudice desidero: si in aliis dolum abesse leges voluerunt. *Sapientia, inquit Gregor. lib. 10. moral. c. 27. justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire: huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. hæc proinde prudentia usu à Iuuenibus scitur, hæc à pueri pretio discitur. docuerunt linguam suam loqui mendacium. Ieremiæ c. 9. Os bilingue detestatur Dominus. Prou. 13. & Eccles. c. 2. Va duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. & c. 7. Noli parare mendacium. & Leuit. 19. Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum.* Chri-
Aug

stus præcepit secundum Euangelicam veritatem *Sit sermo vester est, est, ut affirmatio & negatio sicut procedit ex ore, ita procedat ex corde, c. etsi Christus de Iudeis. Requiescet in monte sancto, qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Psal. 14.*

Dolum agit, qui lingua ait quod corde negat. dum humanae aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant. *c. humane 22. q. 5.* Aliud simulat quam agit, aliud verba sonant, quam sensu loquitur, aliud intendit, aliud præ tendit. cum intelligentia dictorum ex causis sit assumenda dicendi. quia non sermoni res, sed rei sermo est subiectus. *c. intelligentia de V. S.* In dolo est qui publicè sancitum verborum sensum excludit, priuatum indit. sunt verba propterea instituta (*August. enchir. c. 22.*) non per quæ se inuicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cognitiones suas perferat. Verbis igitur vti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. & idem *tract. de conslic. vitior. c. 19.* uicè artificioso ingenio nec simplici verbo oportet decipere quemquam. *Dolus in eo est,* inquit Florentinus, *l. 43. D. de contr. empr. qui fallandi causa obscure loquitur;* nec tantum, sed etiam qui insidiosè obscure dissimulat. & *Vlp. in l. 1. s. 1. D. act. empr. cum damnat,* qui liberationem stipulatus erat, inuoluta obscuro pacto veritate quam nosset. & *generatim,* inquit, *dixerim si improbato more versatus sit in celando, debere eum teneri.* reiecit Labeo in *l. 1. D. de dol. omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumscribendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.*

Sed tamen & posse ait sine dolo malo aliud agi, aliud simulari. Vtilem etiam simulationem & in tempore assumendam Hieronymus Iehu, Dauidis, & Christi asserere nititur exemplo *c. utilem 22. q. 2.* quamquam nec eam admittit Augustin. *c. quaeritur ibid.* permittit is suo tempore veritatem celari, non mendacium dici. & *c. si qua. d. 30.* damnat anathemate mulierem habitu virili vtentem, proposito vtique malo. *Vt tibi Gloss. simulationem* Labeo admittit, quæ quis tuetur sua, vel aliena, & *Vlp. . . 2. dolum cum bonum pro solertia acceptum apud veteres tradit;* maxime si aduersus hostem, latronemue quis machinetur. de quo August. *c. Dominus 23. q. 2.* cum iustum bellum susceperit, cui bellare fas est, vtrum aperta pugna, vtrum insidiis vincat nihil ad iustitiam interest. Sic bellum Christi sub vmbra peccatricis carnis gestum est. sed relinquemus Theologis eam disquisitionem, quatenus dissimulatio liceat aliquando, simulatio vetita sit.

G

Leges

2.

Perversa
verborum
sensu.

3.

Simulatio-
ne, nisi ad
se suave
tuendum.

4.
Ambiguo
sermone.

Leges sanè nostræ nec impunitam quidem præmittunt quamcumque simulationem, quâ alteri noceatur. & intorti, obscuro, amphibologici & ambigui sermones principiis iustitiæ aduersantur, si per eos alter læditur, aut quid ei sit quod sibi faciens factum nolit. vel duplicis animi, oris bilinguis, opinio alicui accersitur; candoris, rectæ simplicitatis, & iustæ veracitatis offenditur: *Non decet Principem labium mendax. Prou. 17.* non Iudicem. Laudatus Plinio Traianus, quod quæ vellet, velle; quæ nollet, nolle scirent omnes damnati alij. nam cum mendaces homines aut inopia, aut timor faciat, magnitudinem fortunæ suæ Imperator ignorat, qui mentitur. Pariter magnitudinem functionis suæ ignorat Iudex, qui mentitur: neque enim sic honestè viuatur. Quod si omnibus congruit, qui iustitiam colunt, multo maximè illius mystæ. *Opera manuum eius veritas & iudicium. Psal. 100.* Fortiter Isocrates Principem monet, vt veritatem manifestè, ac apertè colat, vt iniurato illi potius, quam iurato alteri credatur. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima cordis; quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitie sunt in corde ipsius. Proverbior. 26.*

5.
Restrictio-
nibus men-
talibus.

Apage ergo si qui iudicij vel iustitiæ sacrificia obscuris, doctis, ambiguis sermonibus temerare velint, atque profanare, seu improbato more in iis versari, siue restrictionibus mentalibus illorum religionem violare, & sacrilega iuramenta præstare. quando vel Hebræi iudicij Angelos interesse, atque præesse crediderunt, atque Aegyptij vacuas eis sedes relinquere olim consueuerunt, vt vel ideo sanctius in iis versarentur. Vnde quam mirabundi atque indignabundi est illud *Eccles. c. 3. Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem!* Impium, iniquum est in loco iustitiæ & veritatis, habitum mentiri illius, synceram simplicitatem eius ac nuditatem verborum inuolucris offendere. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est. Prou. 37. & sunt in eis docti, inquit August. c. 18. contra mendacium, qui etiam regulas figant, siueque constituant, quando debeat, quando non debeat peierari. O ubi esitis fontes lachrymarum! & quid faciemus! quò ibimus! ubi nos occultabimus, in ira veritatis, si non solum negligimus cedere mendacia, sed audemus insuper docere periuria? Defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum. Psal. 11.* Non excurram latiùs. Restrictionum mentalium abusum R. mus I. Malderus eruditissimo tractatu latè perstrinxit; vtinam restrinxerit, atque extinxerit!

Id

Id tantum nunc dico nihil esse perniciosius Reip. quàm si 6.
Principem aut Consiliarios eius populus deprehendat sibi im-
posuisse fallacibus verbis: nam Principes & Magistratus, qui
bus fides semel est abrogata, quamuis regna, opes, exercitus in
potestate habere videantur, sine præsidio sunt, quo omnis salus
continetur. Credant sanè *Eccles. c. i.* potius quàm Marchiauellii
cæ sectæ, *ne velis uti mendacio illo: numquam enim prodest frequen-*
tatio illius. ita à maioribus nostris, Christianis, creditum est (vt Li-
uius de Papirij filio loquitur) ante doctrinam deos spernentem natis.
Ne credant rem bene peractam, si populum semel deceperint.
redibunt vices, quibus caro fraus ea redimetur, quibus consta-
bit, quàm non profuerit frequentatio mendacij. *Nisi Dominus*
custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Psalm. 126. ma-
gis frustra mentitur. Mendacium odit is, & mendacem, *in cuius*
manu sunt omnes fines terræ. Psalm. 94.

*per nio-
fifimis vbi
per ras
Magistra-
tibus se-
mel abro-
gata fides
fuerit.*

CAPVT XXXII.

Nobilis.

QUò magis Iudicibus sua constet dignitas iudiciorum-
que Maiestas, valde expedit etiam illas qualitates,
quæ extra animum sunt, atque populi existimatione
venerationemque conciliant, Iudicibus non deesse; Nobilitatem
in primis, maiorum imagines, meritorumque memoriam,
quibus sæpè plus defert ignara plebs, quàm rationi, aut legi.
assuetudine reuerentiæ maioribus atque à maioribus delatæ.
Quapropter ortu vilibus magna officia non defert lex 6. c. de
dignit. sicut partem nullam Reip. seruis committi licitum fuit.
Multa enim, inquit Cicero ad Q. frat. quæ rectè committi seruis fide-
libus possunt, tamen sermonis, & vituperationis vitanda causâ commit-
tenda non sunt.

*1.
Congruit
æqualitas
uicij ad
Veneratio-
nem.*

Nobilitatem multi contèdunt consistere natiuitate, honore,
diuitiis; alij solo genere, alij solâ virtute. Priorum opinio iis Re-
bus pub. conuenit, vbi totæ gentes Nobilitate donatæ sunt: vt
Biscaini, in Hispania Gothi, in Gallia Franci, in Frisia gens to-
ta, ex quo in Caroli V. dominatum concessit; ij quidem qui ex
inde nobiliter viuerent. apud Romanos quando annulorum
aureorum Ius omnibus datum est. Sed & ante audiuius,
illud Cicer. Nobilitas, quæ ex imaginibus procedit, populi Rom.
est vniuersa. & est homo qui honorificatur propter substantiam suam.

*2.
Vnde illa è
Virtute,
Origine,
g. ffis Ma-
gistrati-
bus.*

Ecclesiastici cap. 10. Non paucæ etiam hodie nationes gentium hominum nomine eos indignant, quicumque supra plebem sine vilibus operis, artificiis, aut exili mercatura vitam tranfigunt. Qui Nobilitatem in sola virtute constituunt, ij philosophantur quidem optimè, vbi sapiendum est ut pauci. sed in Rep. loquendum ut multi. populo & scenæ dandum, quod Reipub. administratio exigit. Qui in solo genere constituunt Nobilitatem, ij hodie frequentiores sunt, maximè ij, quibus etiam naturâ ille radius affulsit; qui magnis honoribus auctos, vel codicillis Principum supra Maiorum imagines erectos, vix in consortium recipiunt. Romano tamen iure Nobilitas à gestis magistratibus, & officiis procedebat. l. 1. C. de dignitat. Si auum consularem, & patrem praetorium habuistis, claritatem generis retinetis: Id est, si Maiores bis ad magna officia fuerint electi, Nobilitatem etiam in posteros transmittunt. nam si vnicus tantùm fuerit magnus, non erit perpetuum, quod personis contemplatione dignitatis indultum est. l. 3. C. de excusat. muner. l. 10. nam gens, & genus, nomina sunt multitudinis, quæ plus vno desiderant, & duorum numero sunt contenta. l. 12. D. de test. Vnde Plinius lib. 9. Epist. Non ardentius tu nepotes, quàm ego cupio liberos, quibus videor à meo tuoque latere prouum ad honores iter, & audita latius nomina, & non subitas imagines relicturus. Et apud Liu. lib. 10. Decius Mus ansando vnquam audistis patricios primò esse factos, non de caelo demissos, qui patrem auumque ciere possent, id est nihil aliud quàm ingenuos, consulem iam patrem ciere possum, auumque poterit filius meus. nam vt Stoici, si ad vetera reuocas, nemo non inde est, ante quod nihil. Sub Imperatoribus deinde generaliùs immunitate digni erant, quos lateris principalis comitatus illustrabat. l. 1. de prapof. lat. lib. 10 illustrari censebantur qui in lateralibus Principum officiis agebant. Rectè Cicero in epist. ad Hort. Nobilitas nihil aliud est, quàm cognita virtus. cui scilicet publicè auctoritas accessit, atque probatio. ea est in delatione magnorum Magistratum, ex publico testimonio eorum, qui conferunt. nam quibus fas est de cunctis optimos querere, videtur semper optimos elegisse. Cassiod. Et quis non putet magno honore compleri eum, qui Principis decreto, iudicioque ad cingulum venit? Nou. 8 Cato dictus fuit homo nouus; scilicet quo ad Magistratus gerendos, qui alioquin Maiores habuerat bellicâ gloriâ claros, vt memorat Plutarch.

Cæterum nemo in gloriâ nostrâ vixit, neq; quod ante nos fuit nostrum est.

Igitur

Igitur falluntur, qui solum Maiores suos extollunt, & fortia facta 3.
 memorando clariores se putant, quod contra est. quanto Vita Maiorum ^{Dummodo}
 est præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Nonnullis, inquit ^{Origo sec-}
 Greg. l. 2. dial. c. 23. solet Nobilitas generis parere ignobilitatem men- ^{l re non}
 tis, ut minus se in hoc mundo despiciant, qui plus cæteris se aliquid ha- ^{obsusc-}
 buisse meminerunt. Maiorum gloria, posteris quasi lumen est, neque ^{tur.}
 bona eorum, neque mala in occulto patitur. Nobiles verò quibus
 virtus dæest, ut noctuæ sunt, qui excæcantur luce diei, &
 Maiorum splendore, à quibus degenerarunt. heroum filij
 noxæ, quorum Nobilitas per scelerum viteque infamiam tolli-
 tur. neque enim honos ei seruat, qui se in scelus deduxit. l. senatores.
 D. de rit. nupt. Rectissimè Ambros. in lib. de Noë & arca, cap. 4.
 Probatu viri genus, virtutis prosapia est: quia sicut hominum ge-
 nus homines, ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familia homi-
 num splendore generis nobilitatur, animarum autem clarificatur gra-
 tia splendore virtutis.

Non contemnit magnus ille Politico-christianus splendo- 4.
 rem generis, sed commendat virtutis claritatem. Adeoque ^{Virtus}
 Nobilitas, neque facultates, neque dignitas ita sufficiens est ad fidem, ^{semper}
 ut bona electio, vel voluntas, & benigni mores. l. scire s. fin. D. de ^{præualeat &}
 tutor. & curator. dat. ab his. & satius est Nobilitatem peperisse, quam ^{præferatur.}
 acceptam corrupisse. adeoque ex quacumque conditione supra
 fortunam licet surgere. Vnde Plin. Non imaginibus & statuis,
 sed virtute ac merito propagatur fama, quam merito Principi op-
 tandam puto. Non conditio materna, sed cuiusque virtus, &
 probum apud Augustinum attenditur. cap. Ismael. 56. dist. &
 pressius Greg. IX. cap. Venerab. x. de præb. Non generis, inquit, sed
 virtutum nobilitas vitæque honestas gratum Deo faciunt & idoneum
 seruitorem, ad cuius regimen non multos secundum carnem nobiles, &
 potentes elegit: sed ignobiles, ac pauperes: eò quòd non est personarum
 acceptio apud ipsum. Quam ob rem idem Greg. ibid. pro irrito
 habet statutum Argentinensis Ecclesiæ, ut ad illam non nisi
 genere nobiles, & eminentis doctrine admitterentur. nisi fortè
 fundatio secus habeat, aut similis iusta ratio. Gudel. iur. nouiss.
 l. 6. ca. 8. vnde hodie multis locis secus seruat. Misceri pos-
 sunt, debentque ij Nobiles, quibus & virtus suffragetur, in ec-
 clesiasticis functionibus. ut Concilium Basil. statuit de Cardi-
 nalibus, & Pius IV. in nouis cathedralibus Ecclesiis Belgicæ,
 ut in singulis tres præbendæ non nisi Nobilibus ex ea dio-
 cesi oriundis tribuerentur. In Episcopis & Præsulibus no-

bilis virtus magis quàm generosa natiuitas spectanda est. Nos, inquit Greg. qui *presumus*, non ex locorum vel generis dignitate, sed morū nobilitate innotescere debemus, nec *urbium claritate*, sed *fidei puritate*. c. 3. d. 40.

5.
Inter e-
quales vir-
tute nati-
uitas mo-
mentum
facit.

Sanè quando virtutes & merita candidatorum in æquilibrium consistunt, Nobilitas momentum adfert. *arg. l. quod nolit. c. qui mancip. D. de edilit. edict.* & disertè in *Auth. de defensor. ciuit. s. 1.* nobiliores ad dignitates assumuntur, & *ex patribus quidem bonis*, vt loquitur *Auth. de referendariis*. dum cætera, inquam, paria sunt. nam si cui humiliùs nato eminentis doctrina sit & virtus; genere clarum anteibit, qui in eo virtutum doctrinæque gradu non steterit. Pulchrè Greg. in *Pastoral.* Quis nescit quòd in natura gemmarum carbunculus bycyntho præfertur, & tamen cerulei coloris hyacinthus præfertur pallenti carbunculo, quia illi quod ordo nature subtrahit, species coloris adiungit, & hunc quem naturalis ordo prætulit, coloris qualitas deprimit.

6.
Cui a iure
aliis de-
feritur
multum.

Hac ex causâ claræ Nobilitatis, aut magnæ doctrinæ personis, multa priuilegia profana, & sacra etiam sunt concessa, vt contra communes regulas plurium beneficiorum fructibus donari possint. c. *de multa x. de præb. in fin.* Vbi tamen non gregariam Nobilitatem Innoc. III. & Concil. exprimit, sed sublimem; in æqualique cum ea gradu doctrinam doctus Pontifex collocat.

7.
Sed nun-
quam sola
sufficit.

Enimuerò ita Nobilitatem amplecti, & promouere oportet, vt caueamus à iudicio Galbæ, de quo Tac. lib. 17. *Misū Galbæ Vitellius aderat, Censoris Vitellij, ac ter consulis filius: Id satis videbatur, Melius iudicium Tiberij: de quo idem lib. 4. Mandabat honores, nobilitatem maiorum, claritudinem militiæ, illustres domi artes spectando, vt satis constaret non alios potiores fuisse.*

8.
Moribus
semper de-
ferendum.

Cæterum deferendum est moribus cuiusque Reipublicæ. alicubi Nobiles soli eam occupant, & publicis honoribus funguntur; alicubi populares soli dominantur, & Nobilibus aditum ad honores præcludunt; alicubi mixti cum plebeiis patritij rerum potiuntur; alicubi magna munera his deferuntur, illis ciuilia; alibi aliter admissio vel mixtio obtinet. nihil vllibi sine graui causâ, & populi applausu noui est tentandū. Nouitas in re sæpè exigua suspiciōe progressus ad graues mouet, & populū ad seditionem, præsertim cui iurata vel carò empta sunt priuilegia, vel antiquitate præscripta. Tū porrò id semper cauendū vt antiquū ita obtineat, vt genere, virtutibus, meritis

meritis nobiles pro cuiusque regionis usu in pretio habeantur. Usus ergo populi maximè attendatur.

Ex quo etiam illius quæstionis decisio petenda est, an Nobilitati officiat mercatura? Alibi diximus insignem mercaturam non derogare, iure Romano, sed eo utendum quod quoquo loci obtinet. Romæ potentibus vsitatam mercaturam & hystoria docent. ut oratio Cic. pro Fonteio, & l. 5. de Mercimon. vetitatum tamen ab Honorio & Theod. l. 3. ibidem. sed non addita pœna derogationis Nobilitatis.

9.

Secundum
quos etiam
decidendum
an merca-
tura noc-
ceat nobi-
litati.

CAPUT XXXIII.

Diues.

Accedunt etiam extra animum ad commendationem ludicis diuitiæ; si iis benè utatur. nam cui domi abunde est, faciliùs alienò & muneribus abstinet, minùs à populo contemnitur, maioriauctoritate valet. quare Auth. de defensor. in princ. non admittit eos, quibus domi non est victus, & vita sufficiens. qui adeoque ad hanc accedunt curam, & pro alea quodam lusu aliorum subiacent voluntatibus. sed nec inopes poterant creari decuriones. l. eos. 12. D. de decur. sed ditiores & præstantiores. vnde Honorari vocantur l. 1. C. de offic. ciuit. Inde consilium Iethro Deut. c. 15. Prouide de omni plebe viros potentes, alij Hebraico & Chaldaico sono virtutis viros, seu fortes, strenuos atque magnanimos significari dicunt; alij non malè diuites, atque opulentos qui non laborant, ut ditentur. Prou. 22. quia domus que nimis locuples est annihilabitur superbiâ. Eccl. c. 21. & qui confidit in diuitiis suis, corruet: iusti autem quasi virens folium germinabunt, Prou. 11. Non aliud Cassio crimen obiectum, nisi quod opibus vetustis. Statilio nocuit quòd opibus illustris. Anteiùs interemptus ob opes eius præcipuas, eaque causa multis exitio fuit. in Valer. Asiatici monitum cauere vim, atque opes principibus infensas. Plautum magnis opibus ne fingere quidem cupidinem otij, sed veterum Romanorum imitamenta præferre, assumpta etiam Stoicorum arrogantia, sectaque, que turbidos, & negotiorum appetentes faciat. Contrà Othonem ad imperium impulit inopia vix priuato toleranda: & Syllam inopem. vnde præcipuam audaciam, neque aliam spem quàm in rebus nouis. Vtraque extrema vitanda. vnde neque Sulpitium, neque Cottam in Hispaniam mitti Scipioni Æmiliano placuit. quòd alter nihil haberet, alteri nihil satis esset. sed in Cn. Lentulo gloriæ fuit be-

1.

Ut alieno
magis ab-
stineat.

2. *Innocenter parte sine diuitiis & modestè habitæ.* Tac. l. 4. Diuitiarum in hunc finem commendationem factis executi sunt Tiraquell. *de nobilit.* c. 3. Borel. *de magist.* c. 13. & Mars. *in legat.* c. 14.

CAPVT XXXIV.

Pulcher.

1. *Species dignum imperio commendat.* **C**orpore etiam non vitiatos, sed decorâ facie Magistratus esse conuenit, quia
Gravior est virtus veniens è corpore pulchro.

E contrario,

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine laesus

Rem magnam præstas Zoile, si bonus es.

Non tamen decoro corpore superbiat, quia *non in tibiis viri beneplacitum erit Deo.* Psalm. 146.

Pulchri corporis commendationem in Iudice pulchrè exequitur Borell. *magist.* l. 1. c. 3.

CAPVT XXXV.

Legitimus.

1. *Infamis non sit Index, et si ex eo ortus non arceatur.* **F**amosos lex remouet à Magistratibus; neq; infamibus patere patitur portas dignitatũ. L. 2. C. *de dign.* l. 10. sed quoad ortos ex iis, nõ est impedienda dignitas eius qui nihil admisit, l. 6. §. 1. D. *de decur.* Nullu, inquit lex, *patris delictũ innocenti filio pœna est: ideoque nec ordine decurionum, aut ceteris honoribus propter eiusmodi causam prohibetur* (excipio perduelliũ liberos, L. 5. C. *ad l. Iul. maiest.* in quibus maiestatis periculum singulare ius exigit) vt neque spurij tanquam parentum vitio infames arceantur. L. 3. §. 2. *de decur.* sed competitori tamen legitimè quæsito cedunt, d. §. 2. Vnde legitimè natos, non spurios hodie Magistratibus admouendos demonstrat idem Borell. c. 7. cùm rarò alij desint. quod ibi maximè obtinet, vbi spuriorum natiuitas existimationem imminuit, maximè apud Germanos, atque Belgas. vnde in Brabantia nostra legibus læti introitus naturales à dignitatibus arcentur. etiam in sacris id adeo receptum in aliquibus locis, vt neque legitimationses vllæ extra subsequens

2. *Adeoque nec spurius nisi competitor sit legitimus.*

quens matrimonium suffragentur. ita Capitul. Antverpiens. Tornacens. aliaque obfirmato priuilegio seruant. Quæ & tralatitia videri possunt, vt quorum non Maiores tantum, sed propinqui plerique omnes infames sunt, difficilius sint promouendi. vt de mancipiis, quæ de natione sunt infamata, redhibendis statuit *L. quod si s. qui mancipia D. de edil. edict.* Plerumque enim, inquit, natio serui aut prouocat aut deterret emptorem. Dico, plerique omnes: nam si vnus quispiam è familiâ noxia sit vel noctua, aliorum luminibus nihil obstruxerit. rara felicitas ea familiarum, vt gentilis aut tribulis nemo deuiet. Vnde Canutus Daniæ rex inter latrones deprehensum consanguineum, vt sanguini honor haberetur, deprecantem, altiori è pinu suspendit: nihil veritus sibi, nequid adisceret ex aliena infamia.

3.
Neque cui
consanguini
pleri-
que non
integri
sunt.

CAPVT XXXVI.

Ciuis, an Exterus.

Magistratus exteros iure Rom. vbique datos, nisi specialiter Princeps aliter permitteret, testantur. *l. nulli. C. de off. rect. Prou. L. Im. C. de crim. sacril. l. 3. C. de diuers. off. l. 12. L. si qui. l. si cui D. ex quibus caus. maior. l. fin. D. de off. asf. sed & ciuem in ciuitate, vbi natura originem non dedit, sed habitationem fixit, non admissum ad Reip. administrationem perhibet d. l. 3. in verb. in qua collocauerit larem.* Magistratus autem municipales ad gubernationem corporis deputati iure etiam Romano patrij sunt. *l. ad Remp. D. de muner. & honor. l. qui ex vnico. D. ad municip. & in ipsa vrbe Prætores, qui proprium larem in ea habebant non ex prouinciis eligebantur. l. 2. C. de off. prætor.* Deus in populo Israël regem peregrinum esse noluit, *Deut. c. 17. v. 15. Cælest. c. 12. 13. d. 61.* Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quod euenire non credimus) poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi sunt, vt aliqui de alienis Ecclesijs merito præferantur. habeat vnusquisque fructum suæ militiæ in Ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem, in aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alij debitam alter sibi vindicare audeat mercedem. & Greg. *ibid. c. 16.* Commonemus etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi fortè inter clericos ipsius ciuitatis, in qua visitationis impendis

1.
Ciuis an
exterus
eligendus
sit, variè
observat.

impendis officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod euenire non credimus, poterit inueniri.

Quare & aliis visum est satius incolas Magistratui administrando præponi, ex ratione *d. l. 2. C. de off. prætor. l. 2. C. de annon. civil. lib. 11.* quod & Aristotel. sensit *Polit. lib. 5. c. 8.* Vnde & quadrat illud *Gen. 19.* de Lot *Ingressus es ut aduena, numquid ut iudices?* & sanè diffcisso nunc in tot partes Romano imperio, singulisque Principibus intra suos terminos circumscriptis, non eadem ratio est, quæ apud Romanos fuit, cum orbis atque vrbis iidem essent termini. Vnde Bugnion *lib. 2. abrogat. sect. 183.* tradit initiò citatas leges vsu esse abrogatas, quia scilicet in sua Gallia hodie secus obtinet. Quamquam olim Philippus Pulcher & Carolus V. Reges ibi cauerint, ne quis in loco originis officio Senescalli, Præpositi, Iudicis, vel Baliui fungeretur: ideoque Carolus ex decuriis Parisiens. vno die viginti duos amouerit, vt ex Guiliel. Bened. & Gaguin. asserit. Borell. *de Magistrat. lib. 1. c. 5.* vbi & variarum gentium mores atque leges in hanc, vel illam sententiam latè refert, vt & Besold. *dis. de Magistrat. c. 1. n. 5.*

2. *Cuiusque loci vsus seruandus.* In qua varietate ex Hieronymo & Clemente III. *in c. 9. x. de sepult.* illud statuendum est, quia vnaqueque prouincia in suo sensu abundat, vt ex locorum diuersitate iuris diuersitas attendatur; vbi porrò vsus variatur reducenda legum & canonum obseruantia videtur, vt non emeritis in suis Ecclesiis clericis peregrini & extranei, & qui antè ignorati sunt, ad exclusionem eorum qui benè de suorum ciuium merentur testimonio, præponantur. *c. 12. dist. 61.*

3. *Belgicus quis?* Ceterùm si populus iis moribus est, vt non solet reuereri, quem in æquali olim gradu vidit, quocum quis adoleuit, & debita ibi solùm è longinquo veniat reuerentia; cedendum genio populi, cui nihil vernaculum sapit, & aliunde vocandus qui præsit. Alioquin dignitas gentis, neque populi priuilegia sunt temeranda aut consuetudines. qualia Brabantia nostra habet ne quis exterus vlli officio admoueat. quod magnanimè semper tuetur, vt olim T. Manlius Romanorum consul, cum L. Annius Setinus ausus esset petere, vt consul alter ex Latio crearetur; iuravit, si tanta dementia Patres Conscriptos cepisset vt ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum venturum se, & quemcumque in curiâ Latinum vidisset, sua manu interempturum. Sic & *Hollandia leges,* inquit Grotius, *in apologet. c. 9. pag. 173. continent, ne quis extra Hollandiam natus honores capiat, quanquam postea Proceribus*

bus placuit eo iure non uti, nisi adersum nationes, que par ius in Hollandos usurparent. Alia oppida ius habent specialius, ne quem admittant, nisi genitum certos intra fines, ut intra Mosam & Zypam. atque omnes ferè Belgicæ ditiones eodem nunc iure utuntur, ut ab officii exteros arceant; etiam Belgas, qui tale ius domi in alios statuunt. vnde non malè quidam dissertant, an non utilius Brabantis foret Hollandorū exemplo aliis Belgis apud se locū facere, ut & alibi capiant, præsertim Belgicæ Principibus aut Legatis ferè semper intra suos fines Bruxellis agentibus. vbi ex propinquo promptior gratia.

CAPVT XXXVII.

An Ecclesiasticus.

CLerici negotiis secularibus immiscere se non possunt.

Tot. tit. ne cler. secular. se negot. ex Apostolo, Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus. Sed & Concil. Lateran.

decreuit, ne procuraciones villarum aut iurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus Principibus, & secularibus viris, ut iustitarius eorum fiat clericorum quisquam exercere præsumat.

c. sed & . x. ne cler. secular. negot. Plenius id tradit & temperat Borcl. de Magist. l. 1. c. 10. Consen. polit. l. 6. c. 8. 9. sed & nos aliquid diximus in Iur. pontif. nou. Anal. de foro cōpet. n. 54. Sanè procuraciones atque inferiora officia clerum tam dedecent, quàm vocationis exercitia impediunt. Cæterùm ad Imperatorum Regumque consilia iam olim adhibitos fuisse Prælatos, aliosque inferioris gradus clericos, tam veteres passim membranæ, & historiæ testantur, quàm constitutio Frederici in Auth. habita.

C. ne filius pro patre. & multorum etiam hodie populorum vsus, vbi inter prouinciarum Ordines, plerumque clerus primum locum obtinet, & publici status negotiis ex dignitatis officio interuenit, & suffragiis decedit. quò etiam non malè respexisse videri potest Conc. Trident. ses. 23. c. 1. vbi diligenter Prælatorū absentiam ab Ecclesiis suis prohibet, nisi cum euidens Ecclesiæ, vel Reip. utilitas aliud postulat. quæ tunc absentia à Pontifice Romano aut Metropolitano sit probanda. Nisi, inquit, cum absentia inciderit propter munus & Reip. officium Episcopatibus adiunctū, cuius quoniam causæ sunt notoria & interdū etiā repentina, nec eas quidem significare Metropolitano necesse erit. Parlamenta pleraque, &

l.
An asse-
mendus sit
extra res
sacras, sta-
tuendum
pro genio
genis.

supre-

ſuprema concilia initio quidem ex Provinciariū Ordinibus conſtituta ſunt, & in iis Prælati etiam hodiè Pariſiis, atque alibi locum vindicant. Sed olim quidem conuentus eorum celebrabantur ad paucos dies, aderantque Prælati, decidebanturque litès, ſed poſtquam ea concilia, ad perpetuam ſtationem (ſeſſionem potius) deuenerunt, & in ſubſidium patriarum legum vocata ſunt tota Iuris Romani volumina, ſuperueneruntque numeroſa Principum edicta, infinita locorum ſtatuta, & litigantium nullis iam terminis circumſcripta malitia, litium ſcriptarum immenſa firmata, & oceanus Bibliothecarum, vt iam iura & negotia mole ruant ſua, nec iam breues Ordinum Conuentus, nec Prælatorum exigui temporis ab eccleſiis abſentia expediendis cauſis ſufficit, imò nec continua iudicium diligentia; reſceſſerunt Prælati à foro, magna etiam parte ab aula, ſubrogatis alicubi inferioris Ordinis clericis, ex quorum abſentia minus damnum Eccleſia caperet, & Reſp. iuuaretur. Sed an pietati maiorum, an felicitati illorum temporum adſcribendum ſit, quod Reip. negociis clerus magis quam hodie admoueretur, an doctrinæ, quæ penes Eccleſiaſticos tota penè erat, adeò vt vetere apud Gallos more clerici nomine litteratus aliquis indicetur, cum antiqui eorum nobiles arma tractarent tantum, plebs ruſ vexaret, & artificia; atque hodie rebus mutatis, doctrinaque omni ordini communicata magis conueniat, vt quam quiſque elegit ſpartham, in ea ſe exerceat: diſquirendum iis relinquemus, qui pro genio quiſque ſuæ gentis, & temporum ratione Remp. moderantur.

CAPVT XXXVIII.

senex.

IN antiquo eſt Sapientia, & in multo tempore prudentia. *Iob. 12.*
 Ideoque Magna fuit quondam capitis reuerentia cani.
 Vnde prouerbium refert Anacletus, *Gloria ſenem canities, c. porro d. 84.* & porro Moyſi præcipitur, vt eligat præbyteros, id eſt, ſeniores. & deinceps legimus apud Hebræos ſeniorum concilia. *Exod. c. 5. Leuit. c. 8. Mat. c. 1. 11.* & alibi, quam ſpectioſa veteranis ſapientia & glorioſis intellectus, & conſilium, corona ſenem multa peritia, & gloria illorum timor Dei. *Eccl. 25.* Romulus centum ex ſenioribus elegit, quos Senatores propter ſenectutem,

1
 Commen-
 datio ſene-
 antis.

rem, Patres ob similitudinem curæ nominavit. *A senibus nomen mite senatus habet.* Lycurgus seniores constituit; scilicet qui annum sexagesimum exegissent. lege Iuliâ cautum ne minor viginti quinque annis iudicet. *l. 41. D. de recept.* Augustus, teste Suetonio, à trigésimo ætatis anno Iudices adlegit.

Iustinianus veteres & expertos exigit. *Auth. de Iud. §. vetus 2. igitur. vers. quia vero.* In quibus Aristoteles *Ethic. 1.* magis probat iudicium & experientiam, cui consonat Anacletus; *Hæc, inquit, canities sapientiam designat, de qua scriptum est: Canities hominum prudentia est.* Iudici conueniens.

Posterioribus sæculis apud Romanos singulis dignitatibus ætas præscripta fuit. Unde apud Tacitum *lib. 1.* Tiberius pro Nerone Germanici filio *petit quinquennio maturius quam per leges liceret quæsturam.* Et à Claudio Neroni virilis toga maturata est, & vigésimo anno consulatum iniit. Nec in municipiis decuriones nisi maiores annis viginti quinque adlegebantur. Minores decuriones facti sportulas decurionum accipiebant, sed interim suffragium inter cæteros ferre non poterat. *l. spurij §. minores D. de decur.* Facti, inquit Glossa, ex causa, *vt l. 11. eod.* neque enim (ait lex) minores viginti quinque annis decuriones adlegi nisi ex causa possunt: scilicet aliorum penuriâ, præcociâ naturæ, animi, generisve merito. vt in Cardinalium Collegium adoptari videmus sublimium Principum liberos ætate impari. Interim d. legem *Spurij*, seruata refert à Senatu Parisiensi, Papon. *Arrest lib. 6. tit. 2. arr. 8.* & in iunioribus Cardinalibus consuetum est, sententiam eos non dicere, nisi solemni cæremoniâ à Pontifice eis fuerit apertum. Alioquin si minor prætor, si consul ius dixerit, sententiãve protulerit, valebit. Princeps enim qui ei Magistratum dedit, omnia gerere decreuit. *l. quidam 57. D. de re iud.* Fuit & lex Pompeia Bythynis data: de qua meminit Plin. *lib. 2. Epist. 83. 14.* quam excutit Papon *ubi supra.*

Sanè censet Alexander III. *in c. 1. de renunc.* plus valere vmbra senis quàm sapientiam iuuenis. præsumitur longâ rerum experientiâ sapientior, *c. sciendum 26. q. 4.* quia adfert *vetustas 4. dignitas senectutis.* *omnibus in rebus longinquâ obseruatione incredibilem scientiam. Cic. 3. de diuin.* magis temperatus & prouidens, quàm iuuenis; in quo bulliens in feruido sanguine animus temeritatem sæpè sociam habet. Aetas quippe feruorem aufert, & consilium adfert,

H

quotidie

quotidie senescentibus vitius, maturescence etate. Liu. l. 3. Quare & Aristot. lib. 3. Top. cap. 3. negat iuniorum operâ vtendum, vbi prudentia; sed vbi robore opus est. Inde & Mario iuniori dictum, iuvenes prius remis quàm gubernaculis admouendos. In lege clar. C. de auctor. pr. est. l. fin. C. de bon. qua. lib. senior præferatur aliis: auctoritas ei & reuerentia defertur. c. his dist. 23. Gellius lib. 2. c. 15. Tiraquell. de primog. in præfat. n. 75. Quod vsus posteriorum temporum adeo prorogauit, vt senior in monumentis antiquis, & conciliorum in Hispania ac Gallia habitorum actis, & libris feudorum pro domino, ac principe accipiantur. lib. 1. feud. c. 17. tit. quib. mod. feud. amit. ibi si seniores assalierint, si seniorum vxores adulterarint, si seniores in bello dimiserint. Et in capitular. Caroli Mag. cap. 5. art. 3. De quo pago, inquit, est, vel vbi manet, aut quis est eius senior? Crantzius in Norman. lib. 2. cap. 21. Quis, ait ille, vester est Princeps, aut senior? nullus, respondet illi: nam equo per omnia iure imperamus. & c. vlt. nam senior noster, vt vidisti, claudus, non veniendi ad te veniam deprecatur. Loquitur de Arnulfo Flandriæ Comite. Vnde in Annalibus Ludouici Pij qui cum Aimono excusi sunt, lib. 5. cap. 14. Senioratus pro dominatu accipitur. & cap. 21. Rex appellatur Senior. Sicitem, Seniores Vasconie Dagoberto Regi Francorum Sacramento fidem dantes, fideles ei facti sunt. Aimon. lib. 4. c. 31. & Senior Urbis Gregorio Turon. lib. 10. cap. 2.

4. Enimverò & Sacræ Litteræ tantam senectuti tribuunt auctoritatem, vt deficiente scripturâ, & lege, succedat iudicium seniorum. Interroga patrem tuum, & dicet tibi: maiores tuos, & annuntiabunt tibi. & Pontifex Innoc. quod si omnibus inspectis quæstionis qualitas non lucide inuestigatur, seniores Prouinciæ congrega, & eos interroga: facilius namque inuenitur, quod à pluribus senioribus queritur. c. de quib. dist. 20.

5. Nihilominus non ita ætatis senio confectos volumus, vt ad regiminis officium non possint assurgere. c. Archidia. dist. 85, sed vegetos senes.

6. Et quoniam magna hodie moles est legû, maior commentariorum, & maxima litium volumina: non dubito quin in collegiis senibus iuniores misceri possint, & ad iuuandos labores debeant. Thesaurus in præm. decis. & excitatum scimus à Deo Iudicium Danielis pro Susanna. & liberaliùs admittit Tiraquell. iuniores, de nobilit. in præfat. à numero.

ro 173. usque 178. & Anacletus quidem in d. cap. porro. Non, inquit, propter decrepitam senectutem, sed propter sapientiam presbyteri (id est, seniores, ut mox explicauerat) nominantur. Apud Romanos sanè petendis magistratibus demum discretæ ætates anno V. C. 575. Liu. lib. 40. vnde & Tacit. lib. 11. Apud maiores id virtutis præmium fuerat, cunctisque ciuium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus, ac ne ætas quidem distinguebatur. & optimè Cicero Philip. 5. in fin. Legibus annalibus maiores nostri, cum grandioræm ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ temeritatē verebantur. C. Cæsar ineunte ætate docuit ab excellenti eximiaque virtute progressum ætatis expectari non oportere. Itaque maiores nostri veteres illi admodum antiqui, leges annales non habebant, quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis æquales, ita sæpè magna indoles virtutis priusquam Reip. prodesse potuisset, extincta fuit. At verò apud antiquos Rullij, Decij, Coruini, multique alij; recentiore autem memoriâ superior Africanus, T. Flaminius, admodum adolescentens consules facti, tantas res gesserunt, ut populi Romani imperium auxerint, nomen ornauerint. Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tertio & trigesimo anno mortem obiit? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quàm consularis. Ex quo iudicari potest, virtutis esse quàm ætatis cursum celerioræm. Ergo rectè Plin. in epist. ab optima indole frustra exigi annorum numerum. & Vopisc. in Prob. in eo non expectari ætatem, qui virtutibus fulget, moribus pollet. Vnde Scipio; Sat habeo annorum si populus consulem me fieri voluerit. & Cassiod. Spectata quidem virtus, annalibus legibus subiecta non est, iamque honoris infulis adultam cingere dignus est cæsariem, quisquis meritorum laude ætatis præiudicia superauit.

CAPVT XXXIX.

Sine ambitu promotus.

Non enim quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur tanquam

Aaron. Paul. ad Hebræos.

1.

Ambitio
ableganda.

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis gaudet honoribus,

H 2

Nec

Nec sumit, aut ponit secures

Arbitrio popularis aur. e.

Authent. Ut Iudices sine quoquo suffragio fiant. Quicumque desiderat primatum in terra, inueniet confusionem in caelo: quoniam non qui maior in honore, ille iustior; sed qui fuerit iustior, ille maior; conuersatio ergo melior desideranda, non dignior gradus. Chrysost. c. multi dist. 40. quin sicut locus regiminis desiderantibus est negandus, ita fugientibus offerendus. D. Greg. cap. in script. 8. q. 1. Moderatione animi constrictum scimus Rutilium Censorinum iteratam censoriam dignitatem deprecatum, Fabium M. ne filius iterum consul designaretur: Africanum, ne sibi æternus consulatus, perpetua dictatura, aut statux decernerentur.

2. *Qui rectè gesturus est magistratum, tantum ab ambitione debet esse sepositus, ut queratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi: quis enim locus tutus & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda Iustitiæ templa pecuniis expugnantur? quantum quisque mereatur, non quantum dare sufficiat, æstimetur. Imperat. Leo in l. si quemquam C. de Episcop. Malè se res habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecuniâ. Cicero lib. 2. offic. tutor remouetur, qui datâ pecuniâ tutelam ambiuit. §. sed si*
3. *Et pecunia præsens instit. de suspic. tutor. nummariû tribunal auditâ utrimque licitatione alteri addici non mirum, quando quæ emeris vendere gentium ius est. Senec. de benef. lib. 1. cap. 9 Non nego etiam sapientibus cupidinem gloriæ nouissimam exui, Tacit. lib. 4. hist. sed & ambitum permitto, & gloriæ per virtutes cupiditatem.*
4. *Virtute ambire oportet non fautoribus, non prece, non precio. nec famam, inquit de Agricola Tacit. cui etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per etatem quæsiuit. Verum est quidem honoratius in se fugere honorem, quàm ambire, & excelsiùs per iniuriam negatos esse honores, quàm citra meritum delatos; ut de Blæso & Dolabella Tacitus lib. 4. sed neque Blasus, inquit illustrior, & huic negatus honor gloriâ intendit. & de Aelio Lamia, non permissa, inquit l. 5. prouincia dignationem attulit, & Cato apud*
5. *Cui si honor negatus fuerit, gloria cedit. Plurarchum in Aporb. malle se, ait, ab hominibus, cur statuam non haberet, quàm cur haberet, requiri. Apud Romanos cobiendæ ambitioni latæ leges fuerunt, Petilia, Aemilia, Calpurnia, Fabia, Maria, Licinia, Ebutia, Cincia, aliæque, quas, & Ambitionem latè prosequitur Borellus lib.*

lib. I. c. 9. Quibus hodie accedunt, qui in speciem religionis fortunās effundunt, & aliquibus locis piis donationes faciunt, vt per eorum profectus suffragia consequantur, quæ apud alios emere non liceat. Sanè non tantùm ingeniosè & per leges vitæ donationes coërcendæ sunt, sed & deplorandæ multorum locorum consuetudines, vbi publico scito, venales Magistratus, & officia subhastantur.

Quibus nihil aliud reponam, quàm verba Iustiniani 6
Auth. Vt Iudices sine quoq. suffrag. in princip. vbi non solùm vt legislator, sed vt Philosophus in hanc pestem inuehitur.

Ad ambitum non pertinet honorarium quod decuriones recens inter curiales adlecti solebant soluere. Consultit Plinius Nepos Traianum *epist. 78.* an vbiq̄ue certam quantitatem pro introitu dare debeant; ille locorum seruandam esse consuetudinem rescribit. nummi hi inter decuriales diuidi & sportulæ appellari solebant. *l. spurij. . fin. D. de decur.* vbi minor sportularum huiusmodi capax, non suffragij ferendi dicitur. in eam causam donatio inter coniuges recipitur. *l. 5. l. si mulier. D. de donation. inter vir. & vxor.*

Ad eum morem in Collegiis Canonicorum receptum ferè passim erat, vt noui collegæ eiusmodi sportulas soluerent, atque inter sese alij diuiderent. quod vetuit Trident. *ses. 24. cap. 14.* nisi quatenus in vsus pios erogari soleant. Vt & Iustin. pro introitu noui clerici nihil præberi permisit, nolens ob id clericum annonis suis præbendisve priuari. *Novel. vt ea quæ voc. insinuat. 56. Novel. de sanctis. Episcop. 123. §. sed neque cleric.* quamuis permiserit dari in vsus pios, & ordinantis ministros, secundùm consuetudinem, sed moderatum, quod non transcendat vnus anni emolumenta. *d. §. sed neque.* quod *c. 1. de Simonia.* & Trid. vbi supra non recipiunt. Episcopis tamen ordinatis *ex Novel. 123. §. pro consuet.* incumbabat enthroniasticum persoluere primo Presbytero vel Archidiacono, inter clericos Ecclesiæ, cui præficitur, diuidendum. satis magnæ quantitatis in ea constitutione per plures distinctiones expressæ. quam vsus tamen abrogauit cleri respectu, suffectis annatis Pontifici soluendis, ad imitationem decimæ decimarum summo Sacerdoti deferendæ. *Numeror. 18.*

Adeorum quæ diximus considerationē pertinet, quod si absque hæredibus decuriones moriebatur succedebat collegium.

H 3

C. de

incommoda magistratuum auro venaliū.

7. Sub quo collegarum sportula, & enthroniastica nõ veniunt.

8. Quæ per Canones tamen in spiritalibus reprobandantur.

9. Collegis in restatis quatenus succeditur.

C. de hered. decur. nauc. & ita in Collegiis Ecclesiasticis intestatis succedit Collegium, vt latius diximus in Iuris noui anal. de testam. num. 1. & seq Nec in eo differunt, quòd decuriones, si sine prole decederent, quartam bonorum partem curiæ relinquerent. *l. 1. 2. C. quando & quib. 4. pars.* Nam & ita Ecclesiasticos, quæ ab Ecclesia profecta sunt, Ecclesiæ relinquere, non augendis amicis impendere statuit Trid. *sess. 25. c. 1.* quare decuriones facultates dissipare solebant potius, quàm curiæ relinquerent. quod & olim in clero frequentius erat, vt splendidius & lautius viuerent, pro dignitate Ecclesiarum, antequam tanta libertas testandi de acquisitis intuitu Ecclesiæ irreferat.

CAPVT XXXX.

Non Rixofus.

Semper iurgia querit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum. *Prou. 17.* & iterum: Honor est homini, qui separat se à contentiõibus. Nulli sunt Iudici inimici excitandi, aut exasperandi. satis inimicorum dabit officium bene exercitum. quos tamen humanitate placare oportet, & constanti passim opinione, quòd leges apud eum omne semper punctum tulerint, nullum affectio.

§. I.

Non nimis aulicus.

Nequè abhorreat ab aula vt rusticus, si quod eò negotium vocet, neque iners otia aulæ negotia sua faciat. Rara virtus in aulæ negotiis versantem pium esse. Nulla vnquam in ipsius otiiis volutantem virtutes in comitatu habere. Infelix talium felicitas, & plerumque in præcipitia declinans. *Status enim eorum fragilis est ac tenuis, & in voluntate regia spes omnis, quibus leuis offensa summum periculum fit: secunda autem res, vile ministerium.*

§. II.

Non tristis.

Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & letitiam. peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam.

*suam. Eccles. c. 11. Morosa tristitia & tristi nocet, & iis quibus-
cum versatur. Sicut tineæ vestimento, & vermis ligno, ita tristitia vi-
ri nocet cordi. Prou. c. 25.*

§. III.

Modestus.

Modestæ fama neque summis mortalium spernenda est, & à Deis
æstimatur. Tacit. *Annal. lib. 8.*

*Oculos sublimes detestatur Dominus. Prou. 6. Populum humilem
saluum faciet, & oculos superborum humiliabit. Psalm. 17.*

*Agricola virtute in obsequendo, verecundiâ in prædicando, extra
inuidiam nec extragloriam erat. Tacit. in eius vita. Modestia sanè
neque temporum iniquitati cedit, neque vigorem excutit.
Sciunt, inquit idem Tacit. ibid. quibus moris illicita mirari, posse
etiam sub malis Principibus magnos viros esse, obsequiumque ac mode-
stiam si industria ac vigor adsint, eò laudis excedere, quò plerique per
abrupta, sed in nullum rei post usum, ambitiosâ morte incla-
ruerunt.*

§. IV.

Propositi tenax, non peruicax.

Sapientis est consilium, opinionem, sententiam mutare
meliori ratione & causâ allata. veritatē enim amat, nō opi-
nionem suam. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum; qui
autem rectus est, corrigit viam suam. L. Minutius victus apud
Linium l. 22. eum statuit primum esse virum, qui ipse consulat
quod in rem sit: secundum eum, qui bene monenti obediat:
qui nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi
ingenij esse. Nos secundam sortem ingenij teneamus, vbi
prima negata est.*

§. V.

Promissi memor.

Promissorum memor & representator sit. *Non decent
stultum verba composita, nec Principem labium mendax. Prouerb.
17.*

CAPVT XLI.

Vestitu congruo vtens.

I. **Q**uamuis enim imperium in virtute sit, non in decore, vt Alexandrum dicere solitum refert Lamprid. ac vt Concil. Trid. sess. 14. c. 6. *Habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. Amictus, inquit Clemens, indicat qualis sit morum nostrorum constitutio.*

2. Et I. C. ^{rus} in l. sed si. §. mancip. D. de vsufruct. tradit seruitia vsufructuarium sufficienter alere, & vestire debere, secundum ordinem & dignitatem; alioquin abuti. Clericos quidem Concil. Carthaginens. IV. c. 45. *nec vestibibus nec calicamentis decorem querere iussit. d. 41. cap. vlt. Qui gloriatur de veste, inquit D. Thomas, similis est glorianti de cauteriis, quia per peccatum Ad vsus vestium introductus est. & VII. Synodus emendari mandat qui se fulgidis, & claris vestibibus ornant.*

3. Monet Sapiens Eccl. 11. *Ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera Altissimi. Omne quippe, quod non propter necessitatem suam, sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam. quemadmodum Magnus ait Basilius cap. omnis 21. q. 4. Audiamus Cyprianum; Ornamentorum & vestium insignia, non nisi prostitutis & impudicis foeminis congruunt. Foeminei sane ingenij est vestium ornatum quaerere. Magna ingenia circa eiusmodi crepundia distineri nolunt. Nihil homini natura, quod necessarium sciebat, fecit operosum. Senec. lib. de cons. cap. 11.*

4. Igitur vtendum veste communi. c. si quis virorum d. 30. Clem. ^{sed me-} exiui, de verb. sig. conueniente loco & tempore. c. 2. & 3. ^{dioris co-} ^{muniter} ^{cuique or-} ^{dini vsita-} ^{tus.} ^{caus.} 21. q. 4. c. contra d. 100. *In vestitu sicut in plerisque rebus mediocritas optima est. Cic. lib. 1. offic. Candidas, ait Hieron. ad Eustoch. & nigras vestes similiter deuita. Sen. ep. 9. Non fulgeat vestis, sed neque sordeat. nec affectat sordes, nec exquisita mundicie conueniunt. Hieron. c. ecce 41. d. & Conc. Gangren. cap. vlt. Parcimoniam, inquit, cum veste humili non reprobamus: sicut etiam ornatum prater corporis diligentiam infucatum laudamus: dissolutos autem & fractos in vestibibus incessus non recipimus. cap. parsi. ibid. Optimè ergo August. cap. 1. ibid.*

Quis-

Quisquis rebus praterentibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum, cum quibus uiuit; aut intemperans, aut superstitiosus est. Quisquis uero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos uersatur excedat; aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est.

Quid igitur locis & temporibus & personis conueniat, diligenter attendendum est. Leges uestiarias locis, personis, temporibus conuenientes dederunt Romani; Lycurgus, Lacedæmones, Aurelianus, Chini: Inferioribus sæculis Veneti, Galli, Germani, Politica Caroli V. art. 9. 10. 11. lata Augusta Vindelicorum 1548. de quibus latius Borel. de Magist. lib. 1. c. 4. Pet. Faber Semest. lib. 1. c. 16. Jan, Langlæus Orj. semest. lib. 1. c. 5. Priuatis sanè sericas auro intextas in tunicis aut lineis habere aut conficere non licuit. l. auratas l. nemo C. de uestib. holob. l. 11. nec in franis, sellis, baltheis margaritas, smaragdos, hyacinthos, sed alias leuioris pretij dumtaxat gemmas. l. nulli C. l. 11. nulli licet in franis, &c.

Iudicibus sanè ad tuendam dignitatem, conciliandamque authoritatem, uestimenta, & insignia honorifica à Romanis fuisse attributa constat, easque vestes quibus singulæ dignitates à priuatis secernerentur. Augurales, consulares, senatorias, equestres, paludamenta, trabeam, latum clauum, cingula maiora, minora, togam, &c. quæ nemo distinctius singulis magistratibus tributa explicuit, quam G. Panuciolus in Commentar. ad Notitiam Dignitatum utriusque Imperij. Senatui sanè non licuit ingredi sine veste. Plutarch. in Mar. Læpid. de Alexand. in animo habuit omnibus officij genus uestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, ut à uestitu dignoscerentur: Sed hoc Ulpiano Pauloque displicuit, dicentibus plurimum rixarum fore si faciles homines essent ad iniurias. Tum satis esse constituit ut Equites Romani à senatoribus clauis qualitate discernerentur. Meminerant Vlp. & Paul. quod scribit Liu. l. 33. omnia talia discrimina, quibus ordines discernerentur, & concordia, & æque libertatis minuenda esse.

Conuenit tamen Iudicibus conueniens uestium ornatus. Quòd si enim in uestibus sordeant, tenentur imminuti Magistratus.

Ad rationem conuenientis uestis pertinet ut patria sit. Mar. in legat. l. 1. c. 23. quâ relictâ contemptus fertur Alexander, quòd Babylonicam induisset; & ille apud Tacit. lib. 2. hist. quòd uersicolore sagulo, braccas, tegmen barbarum indutus togatos alloqueretur.

5.

ges uestiarias an expediant.

6.

Iudicibus conueniunt vestes ornatiore.

7.

si sorduerint, tenentur imminuti magistratus.

8.

Conuenit uestis patria.

CAPVT XXXI.

Ritè electus.

AD honores enim per virtutis viam congruè prouehi conuenit. Vnde Simmachus *epist.* 14. *lib.* 1. *Bene ac sapienter maiores nostri sedes honoris atque virtutis iun-ctim locarunt: commenti esse premia honoris, ubi sunt merita virtutum.*

1. Florente Repub. populus Romanus officia conferebat; inde candidati, & de ambitu leges: translata deinde in Principem potestate, ille solus

Electio ad Principem pertinet.

Iura, magistratumque legit, sanctumque senatum.

Ab eo exeunt omnes dignitates, vt à sole radij, inquit Cassiodor. lib. 6. variar. epist. 23. quod & decisum l. 1. D. ad leg. Iul. de ambit. & in feudis lib. 2. tit. que sunt regalia.

Sed tamen solent Imperatores antequam digniora officia conferrent, iudicium requirere à præfectis prætorio, vt videre est in *Novel.* 8. & l. 1. *D. ad leg. Iul. repetund. Rectores, inquit, prouinciarum amplitudinis eius testimonio solent promoueri. quanquam tamen senatui populoque aliquas non limitaneas fortiendas prouincias ad speciem authoritatis relinquere.*

2. Porro prouinciarum Rectores, vt plerique militares erant, atque iuris ignari, solebant peritum assessorem assumere, aliaque minora officia ab eorum iurisdictione dependentia conferre. *Novel.* 35. & *passim per tres ultimos lib. Cod.* quædam tamen ab Imperatore confirmari oportebat. *l. probatoria C. de diuers. offic.*

3. In municipiis calendis Martiis noui decuriones creari solebant, *l. 28. C. T. de decur. conuocata curia à duumiris per nuntium, l. 2. C. eod.* (tubâ & campanâ, quæ hodie viget, nondum vel inuentâ vel in id receptâ) duabus curiæ partibus presentibus, *D. de decret. ab ord. facien. l. nomina 46. C. de decur. adhibito Præside prouinciæ, l. 1. § sed et si D. quand. appell. fit. nominatione per duumiros factâ, l. 2. & d. l. nomin. C. eod. & suffragiis probatâ, l. spurij 6. § fin. D. eod. maioris curialium partis, d. l. 46. C. eod. l. quod maior. 19. D. ad municip. demum à Præside confirmatâ, l. si quis 59. C. eod. & per nuntium nominato electione significatâ*

At in municipiis: ubi decuriones quo ritu creentur.

ficatâ d. l. 2. qui aut munus suscipiebat, aut si fas non erat nominari, ad Præsidentem appellabat. d. l. 2. nominatus denique in albo scribebatur, lib. 1. & 2. D. de alb. scrib. Solâ autem albi proscriptione decurionem minimè factum, respondit Herennius, qui secundum legem creatus non sit. l. 10. D. de decur. Defensores autem ciuitatum ita præcipiuntur l. 8. C. de defenf. ordinari, vt sacris Orthodoxæ Religionis imbuti mysteriis, Romanorum Episcoporum, & curialium decreto constituantur: quod deinde refertur ad prætorianam potestatem.

4. Belgica Concilia, ni fallor, omnia in demortui fortè locum Quo ritu in Belgicis Conciliis? solent Principi tres denominare, ex quibus ille cui lubitum fuerit gratificatur; egredi tamen ille, cum videtur, solet nominationem: exceptâ illâ quam fieri contingit à Parlamento Mechliniensi, cuiusmodi rei rationem Ordines Gallie sub Carolo VIII. his verbis sanctè comprehenderunt: *que le Roy estant chargé enuers Dieu, de respondre de la suffisance, & idoneité de ceux, qu'il met aux offices, ne s'en peult mieux descharger, que sur les principaux Officiers*: renouatam desiderantes ordinationem Caroli VI. an. 1404. quâ decretum erat, vt per Parlamentum officia iustitiæ distribuerentur.

5. Et ferè minores in Belgio Magistratus, præsertim municipales aliquâ populi nominatione, præsertim in Brabantia, In minoribus Magistratibus? constituuntur, non sine tamen iudicio præcipuorum Principis officiariorum. Ad exemplum ferè l. 7. C. de profess. & medic. lib. 10. Iudicio ordinis, inquit, probati, decretum curialium mereantur. & Romæ Collegium Dialium vacante loco aliquo tres populo Sacerdotes nominabat, vnum ex iis populus eligebat. Tac. ann. l. 4. ita ferè in Belgio obtinet.

6. Antuerpiæ Senatores sunt 18, iidemque annui. Sub finem Antuerpia. igitur exacti anni nominat Senatus nouem, populus nouem: horum nomina vnâ cum catalogo eorum, qui durante adhuc anno Magistratum gerunt, transmittuntur ad Principem: is exempla vtriusque catalogi mittit ad Episcopum, Arcis - præfectum, & Marcgrauium (cuius officium perpetuum est, & penes quem est potestas gladij.) Ab his Princeps inquit, quinam ex nominatis digni magis, atque Reip. vtilis sint futuri, singuli autem pro sua religione rescribunt: tum Princeps nominationem non egreditur: sed miscere solet veteribus novos, nouisque veteres, designare quinam ex omnibus placuerint. tum designantur bini Consules.

Alibi

7. *In Batavia* Alibi aliter hæc fiunt, atque aliter. vt Hollandiæ morem nostro non admodum dissimilem refert Grotius in *Antiq. Reip. Batavae. c. vlt.* ita tamen vt populi plurimum iudicia interueniant, melius quippe omnibus quam singulis creditur: singuli enim decipere & decipi possunt, *nemo omnes, neminem omnes fefellerunt*, inquit Plin. in *panag. ad Traian. & Cassiod.* Dignus est, inquit, principali iudicio, qui à multis meruit approbari; vni enim acceptum fuisse, interdum gratia est, multis placuisse, iudicium.

Quin imò Alexander Seuerus, vt refert Lâpid. vbi aliquos voluisset Rectores Prouinciarum dare, nomina eorum publicè proponebat, hortans populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret poenam capitis. dicebatque graue esse cum id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in Prouinciarum Rectoribus, quibus fortunæ hominum comitterentur, & capita.

8. *Codicilli.* Porro quomocumque pro more regionis Iudices Magistratusve constituantur, officiorum codicillos, seu diplomata accipiunt. *l. 1. C. Vd omnes Iud.* post quæ sacrilegij instar est dubitare an is dignus sit, quem elegerit Imperator, *l. 3. C. de crim. sacrileg. l. sacrileg. C. de diuers. rescript.* quia etiam si contra leges quis promoueatur, dum scit Imperator, legibus soluit. *l. 57. D. de re iud.* Scire autem præsumitur, quia ad eum examinis cura pertinet, ad quem confirmatio, stabilitio, consecratio. *c. Venerabilem. x. de elect. c. qui Episcopus 23. dist. 27. tot. dist. 64.*

CAPVT XLIII.

An Perpetuus.

Perpetuus an temporalis Magistratus magis conueniat, iam olim disputatum apud veteres, Platonem etiam, atque Aristotelem, & modernos Bodin. *lib. 4. c. 4. de repub.* rationes politicas deducit. *Consen. polit. lib. 7. c. 10. Besold. diff. 3. de Magistrat. c. 2. n. 5. & Borél. lib. 1. c. 12.* etiam quid fere vbique gentium obtinuerit. In Rebusp. temporarios satius est esse, ne diutina potestate vnus insoleseat, & ad tyrannidem vergat; in Monarchia minus est periculi, plus auctoritatis in perpetuo Magistratu.

Sed

Sed rectè laudat Loiseau *des offices lib. 1. c. 3.* rationem mediam fortuito ab usu repertam, scilicet concessionem Magistratus usque ad Principis reuocationem. Vnde in Gallia Regiis officiorum codicillis ex formula inseri solet, *tant qu'il nous plaira*: quales tamen ad perpetuos refert Borel. *ibid. n. 69.* In eam rem præclara monitio Cassiod. *variarum lib. 7. c. 2. Sit*, inquit, *in vestro proposito administrationem vnus anni suscipere: nostrum est merentibus tempus augere.* quare & Capitolin. de Antonino refert, quòd successorem viuenti bono Iudici nulli dedit, & Seuerus, (vt de eo Lamprid.) si cui vnquam successorem dedit, semper illud addidit, *Gratias tibi agit Respub.* eumque ita muneratus est, vt priuatus posset honestè viuere. Paul. *Emil. lib. 1.* refert, quòd Duces ab initio Comitèsque à Regibus præficiabantur gentibus, ciuitatibusque, ac, cum videretur, dimittebantur: deinde inuenterauit consuetudo, vt nisi sceleris conuicti abire imperio non cogerentur, inde Officia in hæreditates migrarunt.

In Gallia perpetua reddidisse officia Philippum Pulcrum, periculose voluisse mutare Carolum V. & Ludou. XI. refert *vbi supra* Loiseau, explicatque diligenter prædictum beneplacitum Regium, & Borel. *vbi supra, num. 77. & seq.* quando morte concedentis sub beneplacito non censetur expirasse iurisdictio.

Siue autem tempus Magistratus expirauerit, siue successor ei datus sit, non antè tamen cessat eius officium, quàm successor aduenerit. *l. meminisse D. de off. proc. Borel. vbi sup. l. 1. cap. 12. n. 64.* numquam dari vacuum debet in Rep. numquam acephala esse illius administratio.

1:
Datus
quam diu
videbitur
Principi,
potior per-
petuo vel
tempora-
rio.

LIBER SECVNDVS

CAPVT I.

De potestate Iudicis.



NITIO generis humani omnes homines natura æquales erant, excepta æconomica parentum in liberos potestate, quam natura ac Deus indidit, alia ferè omnis à violentia cœpit. inde in sacris literis Nemroth

1:
Vnde cœpta
potestas?

I robu-